



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni**

**Pedro <de los Angeles>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1681**

Capvt III. De Privilegiis Regularium, circa capertinentia ad Religionem in  
communi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

rum antiquo. Quæ omnia postea confirmavit, & ampliavit Paulus V. Bulla, quæ incipit. *Ex injuncto*, die 24. Septembris ann. 1605. & habetur in nostro compend. fol. 23.) extant diversæ communicationes privilegiorum cum omnibus alijs Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus; non solum de concessis; sed de omnibus concedendis pro futuris temporibus, tam per extensionem, quam per communicationem: ut est illa Bulla Clementis VII. pridie idus Augusti anno 1530. incipiens: *Ex Clem.* quæ refertur tom. I. *Bullar. Roman.* &

est 31. hujus Pontificis, habeturque Authentica in nostro compendio. fol. 297. num. 9. & alia Bulla Clementis VIII. ann. 1602. die 13. Julij. quæ incipit: *Cum dudum*, & habetur Authentica in nostro compend. folio 184. Unde colligitur, quod privilegia nostræ Carmelitanæ familiæ, semper manent confirmata, per confirmationes factas specialiter alijs Religionibus, quæ nostra privilegia participant, si confirmatio extendatur ad propria, & communicata; ut extenditur concessa Fratibus Dominicani à Julio III. die 10. Julij anno 1551.



## CAPVT III.

## De Privilegijs Regularium, circa pertinentia ad Religionem in communi.

**P**OSTQVAM duobus præcedentibus Capitibus egimus de privilegijs in communi, & eorum cessatione; restat, quod de aliquibus in particulari sermonem faciamus. Sed de omnibus agere, quæ ad diversos status spectant, esset res ardua, & longissima. De aliquibus jam alibi egimus; si quidem de privilegio fori, & Canonis pertinente ad omnes personas Ecclesiasticas, egimus tom. 2. *hu-*

*jus Cursus, tract. 3. de Ordine cap. 7. per totum.* De Officio divino celebrando tempore interdicti pro omnibus etiam Ecclesiasticis, eodem tom. tract. 10. *de censuris, cap. 7. à num. 63.* De privilegijs Equitum Militarium egimus supra hoc volumine tract. 15. *de statu Religioso, cap. 1. à num. 7.* quare modo de privilegijs regularium in particulari ex professo loquimur. Sed adhuc de istorum aliquibus privilegijs alibi actum est:

C c c 3

nam

nam de privilegijs Novitiorum diximus hoc tom. 4. tract. 15. cap. 2. à num. 85. De privilegijs in Ordine ad recitationem Officii divini, tr. 16. de Honoris Canonicijs, cap. 3. punct. 7. per totum. De privilegijs, quibus funguntur in Ordine ad anticipandam, vel postponendam horam Sacrificij Missæ, dicto tract. 15. cap. 7. à num. 92. & de privilegijs celebrandi in particularibus oratorijs ibi à num. 97 § Quare de privilegijs particularibus hoc, & sequenti capite tractabimus. In isto vero de his, quæ pertinent ad Religionem in communi; in sequenti vero de illis, quæ ad particulares Religiosos spectant, tam in ordine ad se, quam in ordine ad sæculares, relictis illis, quæ jam à nobis sunt alibi adducta, & explicata: Nam de facultate & privilegijs, quæ sunt in Religionibus ad expellendos criminosos, loquuti sumus tract. 15. cap. 5. à num. 33. De privilegijs Religionum, ut à sententijs Prælatorum non detur appellatio, eodem tractatu actum est c. 7. à num. 10. De privilegijs, ut possint bona mobilia, & immobilia alienare absque solemnitate juris, eodem cap. 7.

à num. 27. quare hoc Caput continet sex Puncta.

PUNCT. I. **D**E privilegio exemptionis, competentis Regularibus, à jurisdictione Episcoporum, num. 1.

§. I. Quid nomine exemptionis intelligatur in præsentibus? à quibus sit? & qui gaudeant hoc exemptionis privilegio? n. 1.

§. II. Qualiter Regulares exempti ab Ordinarijs locorum, dependent ab Eis quoad aliqua privilegia? num. 10.

§. III. An Ordinarij possint per censuras Regularis exemptos compellere, quoad ea, in quibus ex jure sunt illis subjecti? n. 20.

§. IV. An Regularis exempti, teneantur legibus Diocesanis ab Episcopis impositis? n. 25.

§. V. Possintne Ordinarij locorum visitare Personas, Ecclesias, Monasteria Parochias, Confraternitates Regularium exemptorum? n. 31.

§. VI. Qualiter in causis criminalibus dependant Religiosi exempti ab Ordinarijs? n. 43.

PUNCT. II. De privilegio Regularium exemptionis à solutione decimarum, num. 52.

§. I. Quotuplex sit decima, quo jure debeat, ex quibus rebus, quibus, in quo loco, & à quibus sit solvenda? n. 52.

§. II. Qualiter jure Communi Religiosi communiter viventes exempti

empti sint à solutione decimarum? n. 63.

§. III. De privilegiis concessis Religionibus extra Corpus Juris, circa exemptionem solutionis decimarum? n. 72.

PUNCT. III. De privilegio immunitatis concessio Regularium Monasteriis, Ecclesiis, ac domibus. num. 81.

§. I. Quibus locis sacris hoc privilegium immunitatis conveniat, n. 84.

§. II. Quae persona hoc gaudeant immunitatis privilegio? n. 89.

§. III. De criminosis, qui ab hac Ecclesiae immunitate excluduntur, num. 96.

§. IV. Quos effectus habeat immunitas Ecclesiae haecenus stabilita? n. 109.

§. V. Quam poenam, & culpam incurrant indubite extrabentes delinquentem à loco sacro, n. 114.

§. VI. Quomodo confugientes ad Ecclesiam traditi, vel non, possint iudici seculari puniendi, n. 119.

PUNCT. IV. De Privilegiis nova Monasteria fundandi, concessis Regularibus: sicut & de aliis ea mutandi, transferendi, discedendi, vel etiam reunivendi, n. 124.

§. I. Quid requiratur ad erectionem novi Monasterii ex Concilio Tridentino, Clemente VIII. Gregorio XV. necnon & Urbano VIII. n. 126.

§. II. Qualiter in erigendis novis Monasteriis servanda sit certa distantia, inter unum Monasterium, & aliud? n. 137.

§. III. Qualiter, & quo jure possint Regulares sua Monasteria mutare, seu de uno in alium locum transferre? n. 141.

§. IV. An, & quomodo Regulares deferere possint Monasteria adificata? n. 146.

§. V. Qualiter Regulares unire possint duo, aut plura Monasteria, & unam alteri incorporare, n. 149.

PUNCT. V. De privilegiis eligendi Judicem Conservatorem Regularibus concessis, n. 152.

§. I. Diversa proponuntur privilegia pro Conservatoribus eligendis, qualiter designati teneantur electionem acceptare, & modus, quo eligendi sunt explicatur? n. 153.

§. II. Quas qualitates debeant habere, qui secundum praedicta privilegia, & sanctiones Apostolicas institui possunt Judices Conservatores? n. 160.

§. III. Ad quid se extendat Potestas, & Jurisdictio Judicum Conservatorum? n. 168.

PUNCT. VI. De privilegiis Regularium, ut possint in suis Ecclesiis sepeliri, qui eligunt in eis sepulturam, n. 178.


§. I. Quid sit sepultura Ecclesiastica, à quibus eligi possit, & quando non eligitur, quo in loco fieri debeat? n. 179.

§. II. Quibus ex jure neganda est sepultura Ecclesiastica? n. 192.

§. III. Qualiter eligentes in Ecclesiis Regularium sepulturam, possint ab eis sepeliri, n. 200.

§. IV.

- §. I V. De portione Canonica Episcopis debita, & quarta funerali solvenda parochis, n. 215.  
 §. V. Privilegia, quibus Carmelita Discalceati, à solutione quarta funeralis eximuntur, n. 219.  
 §. VI. Quæ Religiones sint à solutione quarta funeralis exemptæ? & quid teneantur solvere, quæ illam reddere teneantur, n. 228.



## PUNCTUM I.

De Privilegio exemptionis competenti Regularibus à jurisdictione Episcoporum.

Propo-  
nitur ex-  
emptio  
de qua  
modo  
est agen-  
dum.

DE duplici exemptione Regularium possemus loqui in præsentis. Primo de exemptione à potestate sæculari tam in civilibus, quam in criminalibus: sed quia de ista latè egimus tom. 2. hujus Cursus tract. 8. de Ordine, cap. 7. à num. 1. tractantes de exemptione Clericorum, & de immunitate Ecclesiastica, quæ communis est omnibus personis Ecclesiasticis tam Regularibus, quam sæcularibus; ideo de hac nihil in præsentiarum agemus. Alia est exemptio à jurisdictione, regimine, & potestate Dominorum Episcoporum, de qua in præsentis erit sermo. Quæ materia laudissima est, & pluribus amfractibus implicata ob plura privilegia, Bullas, & decreta, & factæ Congregationis declarationes desuper in favorem partium hinc inde expeditas; nam cum Ordinarij locorum ægrè ferrent

hanc absolutam Regularium exemptionem, plurimas lites, & jurgia inter illos fuerunt diversis temporibus exorta circa Bullarum, atque privilegiorum intelligentiam. Ob quod ad Apostolicam sedem (ut par erat) recurrentes, diversa sunt ab illa decreta expedita, alia ampliativa, alia restrictiva jurisdictionis Ordinariorum in Regulares; diversæque sunt, & multoties oppositæ declarationes Sacræ Congregationis productæ; unde novæ lites passim dimanarunt. Quare nos in præsentis, quæ communiora, & magis ad praxim necessaria sunt proponemus: præcipue Sacrosancti Concilij Tridentini vestigiis inherentes, & exemptionem adeo favorabilem Religionibus defendemus, & subjectionem debitam Dominis Episcopis à Religionibus præstandam declarabimus. Ob idque claritatis gratia hoc Punctum diversos in §§. dividemus.

## §. I.

Quid nomine exemptionis intelligatur in præsentis: à quibus sit? & qui gaudeant hujusmodi exemptionis privilegio?

I. Exemptio, quæ nihil aliud est, quameductio, seu liberatio alicujus, de potestate alterius, in præsentis accipitur pro illa educatione, quæ Religiosi, qui sub jurisdictione, regimine, & correctione Episcoporum degebant, à tali subjectione educati sunt; & sub regimine suorum præhabentur.

latorum constitui tam in civilibus, quam in criminalibus; & omnes uni Capiti, tanquam Generalissimo omnium Religionum, qui est Summus Pontifex, immediatè subjecti: unde describi posset talis exemptio dicens: *Quod est quadam liberatio à potestate Ordinaria inferiori Papa, stante immediata subiectione ad Romanum Pontificem.* Quam exemptionem aliqui dicunt ex Jure Communi antiquo cōpetere Regularibus. Alii per oppositum id negant propter diversa jura hinc inde adducta, & explicata, quæ conciliari possent dicendo, ex jure communi exemptos fuisse Regulares à lege Diocesana Episcopi; non autem à lege jurisdictionis, ut inquit Sanchez tom. 2. *Consilior. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 6.* Vel ut melius dicit N. Lezan. tom. 2. *verb. Episcopus quoad Regulares, num. 26. & verb. exemptio Regularium, num. 4.* quem sequitur Hieronymus Garcia in *Politic. Regular. tom. 1. tract. 8. diff. 3. dub. 2. num. 1.* si dicatur Monachos jure communi exemptos esse ab Ordinatio- rum jurisdic- tione, quantum spectat ad Regularem observantiam, non verò quantum ad vim directivam, & coactivam, & colligitur ex *cap. nullam, 18. quest. 2.* ubi dicitur: *Clerici singulorum Monasteriorum sint in potestate Episcoporum;* sed etiam additur: *quod ea que pertinent ad Divini cultus reverentiam, & utilitatem Monasterii, ad Abbatem spectant.* Quod constat ex præ- senti usu Ecclesiæ: nam Monasteria quoad jurisdictionem subiecta Ordinariis, subduntur suis Præ- latis quoad Regularem observantiam, & nullus, de elect. in 6.

2. Sed quidquid sit de hoc, certissimum est omnes ferè Regulares (aliquibus dumtaxat particularibus Monasteriis exceptis) saltem ex privilegiis Pontificum, à jurisdictione Episcoporum omnino esse exemptos, ut ex variis privilegiis constat, quæ videri poterunt apud Casarub. in *Compend. privilegiorum, verb. exemptus.* Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. dispus. 15. quest. 4.* Sanch. *sup. numer. 11.* Lezana *verb. exemptio num. 4.* Barbof. *de Officio, & potestate Episcop. allegat. 105. & de jure Ecclesiast. lib. 2. cap. 12. num. 35.* Navarr. in *Lucern. Regul. verb. exemptio.* Quare omnes Prælati Regulares habent in propriis Monasteriis, & Ecclesiis jurisdictionem pleno jure, quasi Episcopalem, juxta doctrinam Glossæ communiter receptam: in *Clement. de rebus Eccles. non alienand. verbo proprii.* uti asserunt Barbofa *dicta allegat. 105. num. 3.* § *Verba autem, quibus in privilegiis denotatur talis exemptio, sunt illa, vel similia, quibus usus fuit Joannes XXII. pro exemptione Ordinis Carmelitarum: à cujuscumque Diocesani, & cujuslibet alterius potestate, jurisdictione, & dominio omnino eximimus.* Vel si dicat: *eximimus cum plena libertate.* Vel si dicat: *Ecclesia vel Religio gaudeat libertate Ecclesiæ;* vel, quod Episcopus non audeat illic Cathedralam collocare seu aliquod imperium exercere. Vel illa: *Soli Romano Pontifici, vel Sedi Apostolicæ immediatè subijcimus, aut subijcere volumus.* Vel illa: *recipimus in proprios, seu speciales subiectos;* non verò si dicatur: *Suscipimus sub defensione, vel sub protectione,* ex *cap. ex parte 2. de privilegiis.*

Ex qui- bus pri- vilegiis, & qui- bus illo- rum clausulis, hæc exemptio colligatur?

legis Nec si dicat: *Suscipimus in proprios filios*, ut perperam asserit Rodriguez qq. *Regular. tom. 2. quest. 63. art. 3.* Quia nec per hoc, quod Pontifex sub sua protectione Regulares accipiat; nec per hoc, quod suscipiat ut proprios filios, denotat specialem super illos superioritatem, nec eos à subjectione, quam habebant liberat. Sic docent Sylvester in *Summ. verb. exemptio, quest. 4.* Barbof. *de officio, & potest. Episc. allegat. 123. numero 11. 20. & 26.* Tambur. *tom. 1. disp. 15. q. 5. à num. 15.* Lezana *verb. exemptio numer. 6. & 7.* Garcia *tract. 8. diff. 3. dub. 1. num. 2.* Peyrin, *tom. 1. suor. privileg. constitut. 2. Sixti IV. §. 9. numero 10.* Sanchez in *consil. tom. 2. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 4.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 25. initio, & 24. in comment. littera M.*

**Exemptio Regularium est non solum quoad personas; sed etiam quoad loca intelligenda.**

3. Verumtamen exemptio potest esse duplex, alia *personalis*, alia *localis*. *Personalis* est, quando ipsa personae eximuntur: ut immediatè, & per se, seu ratione sui: & hæc personalis exemptio comitari personam, quocumque pergat, & ubicumque sit fruatur tali privilegio. *Localis* est, quæ immo-  
 meda è, & per se datur loco, non verò personis, nisi prout in illo loco existentibus: ut si alicui Parochiæ concedatur privilegium, ut non possit interdici, hoc non afficit personas immediatè, & sic extra illum locum possunt interdicto subiacere: in illo verò loco, ratione loci, non possunt interdici, ideoque in illo loco possunt Divina celebrare, & illis interesse. Regulares verò non solum sunt exempti quoad personas; sed etiam

quoad sua Loca, Monasteria, & Ecclesias, quod malè negavit Suarez de *Censuris, disputat. 9. sect. 4. numero 6.* asserens Monasteria dici loca exempta quoad personas tantum, non verò etiam quoad se. Sed oppositum est verum, & communiter receptum. Tum: quia Episcopi nec Monasteria, neque Ecclesias Regularium visitare possunt, ut videre est apud Tridentinum *capite octavo, sessione septima*, quod infra latius probabimus: sed si personarum tantum, non loca exempta essent, visitari possent per Episcopum, quia Ecclesia, & loca nendum ratione personarum, sed etiam ratione sui visitantur. Tum etiam: quia ex privilegiis constat, non solum Religiosos, sed etiam Monasteria, & Ecclesias esse ab Episcopi jurisdictione liberatas, ut constat ex Bonifacio IX. Constitutione: *Sacra Religionis*, apud Confectum, & Nicolai V. Constitut. *Et si cunctorum*, apud eundem Confectum, pagina 43. ubi inter alia sic dicit: *Quod licet ipsi Fratres, ipsorumque domus, & loca per speciale Sedis Apostolica privilegium ab omni jurisdictione, & superioritate quorumcumque Ordinariorum sint exempti, &c.* & Sixtus IV. apud eundem Confectum pagina 64. ubi ait: *Distinctius inhibemus ne quisquam absque dicta Sedis Apostolica speciali commissione, in personas, domus, & loca dicti Ordinis, utpote prorsus exempta, &c.* & infra: *aut in personas, domus, & loca huiusmodi aliquam præminentiam, vel superioritatem, & jurisdictionem quomodolibet exercere præsumant: sunt ergo exempti Regulares non solum*

done personarum; sed etiam ratione suorum locorum, in delictis, contractibus, & rebus, ita quod nec censurari, aliove modo puniri possint ab Ordinariis, nec Episcopi possint exercere aliquam jurisdictionem, aut præminentiam in eorum locis: Sic Bonacin. *disputatione 1. de Censuris, quest. 1. punct. 5. num. 18.* Paulus Esquilante *de privileg. Cleric. cap. 2. dub. 6. num. 68.* Bordon. *resolut. 7. nu. 4.* Quod magis constabit ex his, quæ infra dicemus.

Non eximuntur à jurisdictione Legati à latere, bene tamen aliorum Legatorum.

4. Nomine autem Ordinarii à cuius jurisdictione eximuntur Regulares, intelliguntur Episcopi, Archiepiscopi, & eorum Vicarii. An verò etiam intelligantur Legati Papæ? § Respondetur sub distinctione: vel enim sunt Legati à latere, & talibus subiecti sunt Regulares exempti. Tum: quia in *cap. Abbatem, de elect. in 6. capite 1. de verborum significat. eodem lib.* quantum ad jurisdictionem in exemptos parificatur Legatus à latere ipsi Papæ. Tum etiam: quia esto quoad aliqua privilegia Religionum, Regulares Legatorum etiam de Latere (qualis communiter est Nuntius Hispaniæ) jurisdictioni subtrahantur; per litteras tamen Sux Legationis ut in plurimum eis derogatur: quarum tenores attendendi sunt in hac parte. De Aliis Legatis, qui dicantur *Missi*, aut Nuntii Apostolici, sciendum quod isti cum sint verè Ordinarii, nomine Ordinariorum veniunt in exemptionis privilegiis. Peyrin. *somo 1. privileg. Minim. circa constitut. 2. Sixti IV. §. 7.* Sanchez *sup.*

*dub. 1. num. 19.* Tabiena *verb. Legatus, quest. 2. num. 3.* D. Antonin. *3. part. titul. 2. cap. 3. §. 1.* Barbol. *de jure Eccl. lib. 1. cap. 5. num. 77.* Diana *part. 1. tract. 2. resol. 16.* Pellizzari. *tract. 8. cap. 6. sect. 1. num. 2.* Lezana *tom. 1. cap. 11. num. 18.* & *tom. 2. verb. exempt. num. 5.* Rodriguez *tom. 2. quest. 63. art. 4.* ubi adducit privilegium Sixti IV. pro Carmelitis, in quo hæc dicit: *Nuntius Ordinarius, seu Legatus quavis auctoritate utens, quamcumque auctoritatem super prædictos Fratres sibi vindicare non præsumat.* Quod privilegium etiam si Legatos à Latere comprehendat, sicut aliud, quod refert Naldus *verb. exempt. num. 5.* quo Clerici Regulares eximuntur à quacumque jurisdictione Ordinariorum, etiam Legatorum à Latere: subintelligi debet, quantum est ex vi privilegiorum, seclusa revocatione per litteras Sux Legationis, ut Sanchez, Rodriguez, Peyrin. Naldus, Lezana, & Pelliz. asserunt.

5. Cæterum cum sit adeo certum, commune, & ad praxim deductum hoc exemptionis privilegium, si hac de causa citentur Regulares ab aliquibus Ordinariis, non tenentur comparere; esto autem comparere velint (quod certè pro bono pacis, æquum est, ut faciant) ut allegent suæ exemptionis privilegium; non tamen tenentur illud coram ipsis exhibere: quia licet cum exemptio aliqua particularis non est notoria, teneantur qui eam allegant exhibere coram Ordinariis, intra terminum ab ipsis præscri-

Regulares citati ab Episcopo, comparere non tenentur.

Ddd 2

ptum,

ptum, suæ exemptionis privilegium, *cap. cum persona, de privileg. in 6.* nihilominus quando est notoria, id non tenentur facere, ut colligitur ex *Clementina Pastoralis, §. notorium, de sentent. & re judic.* Cùm ergo notissimum sit in orbe, Regulares exemptos esse tam in civilibus, quàm in criminalibus ab Ordinariorum jurisdictione; non teneatur illi, suæ exemptionis privilegium, coram istis exhibere: sed possunt casu, quo ab Ordinariis citentur, suam exemptionem defendere respondendo, se ab Illorum subjectione exemptos esse, ac proinde ab Eorum jurisdictione declinare, & ad Conservatorem recurrere, ut dictos inhibeat Ordinarios. *Tambur. tom. 1. disput. 1 §. quest. 6. Lezana tom. 1. cap. 11. num. 1 §. & tom. 2. verb. exemptio, num. 14. Henriquez lib. 7. cap. 2 §. num. 7. litter. F. Sanch. tom. 2. consil. lib. 6. cap. 9. dub. 4. Peyrin. loco citato, §. 4. num. 5. Garcia dub. 1. num. 3. Villalobos tom. 2. tract. 3 §. diff. 4. num. 5. Rodrig. tomo 1. questione 16. art. 12. Pellizzar. num. 86.*

§ Quòd si adhuc Ordinarius nolit se inhiere, debet Conservator ipsam ad id cogere per Censuras donec obediat, se inhiendo, vel recurrendo ad Papam. *Sanchez, & Pellizzar. locis citatis.* Qui monent, cavendum esse Regularibus, ne privilegium exemptionis Ordinario præsentent, cùm id sit constituere illum judicem exemptionis ipsis competentis, & vertere in dubium, an jurisdictio illius, ad Ipsos pertineat?

In dubio 6. Sed duo sunt notanda in præde privi- senti. Primò: quòd si in aliquo casu

particulari dubitetur de jurisdictione Episcopi in Regulares, quia non sunt clara, & certa privilegia exemptionis; in illo casu non pertinet ad Episcopum dubium declarare, aut privilegium exponere; sed ad Sedem Apostolicam recurrendum. Tum: quia cùm agatur de exemptione ab ejus jurisdictione, in propria causa judex existeret. Tum etiam: quia ex Jure Communi illis prohibitum est *in cap. cum venissent, de judiciis.* Ubi Pontifex Sibi Soli reservat cognitionem dubiorum de privilegiis Apostolicis. Tum denique: quia id habetur ex multis privilegiis, in quibus Pontifex dubia decidere circa privilegia Religionum, sibi reservat, & avocatur: cui injuria irrogaretur, si alias hoc sibi munus arrogaret. Sic concesserunt *Clemens IV. Julius II. & Paulus III. & Alii. Bassæus verb. exemptio, num. 3. Sanchez supra dub. 1. num. 34. Tambur. quest. 6. Pellizzar. tract. 8. cap. 1. sect. 6. quest. 1. Henriquez lib. 7. de Indulgent. cap. 2 §. num. 6. Lezana verb. exemptio, num. 14. & verb. privileg. num. 12. Bordon. resolut. 7. num. 99. Garcia tract. 8. diff. 3. dub. 1. punct. 1. num. 1. Rodriguez questionum Regularium, tom. 1. qu. 56. art. 12. §. sexta. & tom. 2. quest. 63. art. 7. §. secunda.* Potest verò Episcopus per viros doctos privilegium dubium exagitare coram Superiore Religioso contra quem procedere intendit. § Secundò notandum est, quòd privilegium exemptionis, quàmvis quia cedens in præjudicium tertii, debeat strictè interpretari; quia tamen concessum est in favorem totius Religionis, est latè in-

legio ex-  
emptio-  
nis non  
Episco-  
pus, sed  
Pontifex  
potest  
sententiam fer-  
re.

interpretandum: Quia summa est ratio, quæ pro Religione facit, l. sunt personæ, ff. de Relig. & sumptib. funer. Saach. dub. 1. num. 40. Pellizzar. cap. 1. sect. 6. quæst. 6. & cap. 6. sect. 1. num. 86. Henriquez lib. 7. cap. 24. num. 4. & cap. 30. num. 1. Quod idem de omnibus privilegiis toti Religioni concessis in perpetuum diximus cap. 1. hujus tractatus num. 74. & tenet Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 1. num. 3. Castro Palao tract. 3. disputat. 4. punct. 3. numer. 5.

Non possunt Regulares privilegio exemptionis renuntiare.

7. Hujus privilegio exemptionis Religiosi minime cedere possunt, cap. cum tempore, de arbitris: quia hoc cederet in præjudicium status Religiosi, cui per se principaliter concessum est. Quemadmodum Ecclesiastici nequeunt cedere privilegio fori, aut Canonis, in favorem totius cleri introducti, cap. significasti, de foro competenti. Unde Regulares absque licentia Pontificis, non possunt tacite, vel expresse privilegio exemptionis renunciare, ut dicto cap. cum tempore, §. finali, habetur: quia exemptio ab Ordinariis, facit Eos immediate subiectos Sedi Apostolicæ; in Cujus injuriam, & damnum cederet, hoc ipso, quod se subtraherent ab immediata subiectione Papæ, se subiciendo Ordinariis, exemptionis privilegio renuntiando. Pellizzar. tractat. 8. cap. 6. sect. 1. num. 85. & 41. Lezana tom. 1. cap. 11. num. 5. & tom. 4. verb. privileg. n. 14. Rodriguez q. 63. art. 10 Hieronymus Garcia in Politic. Regul. tom. 1. tract. 8. diff. 2. dub. 4. punct. 2. n. 4. Bassus verb. exemptio. n. 6. 1. edesim, tom. 2. tract. 1. cap. 6. §. la tercera diffi-

nicion. Peyrin. confitut. 2. Sixti IV. §. 7 num. 4. Diana 3. part. tract. 2. resolut. 63. num. 23. Unde fit nullam consuetudinem in contrarium prævalere posse, nullumve usum, etiamsi ob illud sint Ordinarii in possessione Regulares judicandi: quia eatenus talis possessio, aut usus illis favere poteret, quatenus tacitam renunciationem includit, quam à Regularibus præstari non posse diximus.

8. Et si roges primò: quæ personæ hujusmodi privilegio exemptionis ab Ordinario, potiantur? § Respondeatur, omnes Religiosos, qui verè tales sunt: cum tribus votis substantialibus sive viri sint, sive fœminæ, & Donati, vel Conversi, qui veram professionem trium votorum emiserunt, quomodo sunt veri Religiosi, ut sunt nostri Donati; Vel etiam, si non emiserunt talem professionem, sed omnia sua irrevocabiliter tradiderunt Monasterio, nihil sibi reservando, & habitum aliquo modo mutaverunt. Lezana cap. 8. num. 8. Pellizzar. cap. 6. sect. 1. num. 6. §. Etiam Novitii dicto gaudet privilegio, ita ut non possit Ordinarius de delictis ab ipsis in sæculo, & multo minus in Religione perpetratis cognoscere: quia Novitius in favorabilibus venit appellacione Religiosi, & gaudet privilegiis Religionis, ut supra diximus. Garcia tractatu 8. diff. 3. dub. 1. punct. 1. num. 2. Rodriguez questionum Regularium, tom. 2. quæst. 66. art. 2. §. Similiter Tertiarii cujuscumque Ordinis, qui si fuerint viri, atque collegialiter vivant, & in Claustris habitent; si fœminæ & vitæ cœlibem emisso voto ducant sub

Omnes Regulares utriusque sexus, & Tertiarii gaudent dicto exemptionis privilegio.

habitu Tertii Ordinis; cæteri verò, minimè: quia ex una parte Sixtus IV. in Bulla, *Dum attentæ*, quæ est mare magnum Ordinis, concessit Tertiariis Carmelitis, *Ut gaudere possint, & debeant tam exemptionis privilegio, quam omnibus immunitatibus, libertatibus, Indulgentiis, & aliis privilegiis quibuscumque prefato Ordini Beata Dei Genitricis Maria de Monte Carmeli, ejusque Fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam concessis, & qua in posterum conceduntur.* Quod & aliorum Ordinum Tertiariis, alii Pontifices concessere. Et ex alia Leo X. in Concilio Lateranensi statuit, ut illi solum Tertiarii fruerentur ista concessione, qui qualitates jam recensitas haberent. *Lezana tom. 2. cap. 14. num. 26. Bordon. tom. 1. resolut. 7. num. 14. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 5. subsect. 1. num. 212.* § Etiam famuli Regularium, quoad aliqua sunt exempti à jurisdictione Ordinarii, si actu serviant, & resideant in Monasteriis; nihilum quoad Sacramentorum administrationem, & quoad Censuras, cum tales nec interdici, nec excommunicari ab Episcopo possint, juxta concessionem Bullatam Alexandri IV. quam refert *Casacub. in Compend. verb. familiares, num. 11. Peyrin. in constitut. 1. Julii II. §. 11. Pellizzar. cap. 6. sect. 1. numer. 7.* § Apostata autem, aut fugitivi, sive habitum deferant, sive relinquunt, non gaudent omnino tali privilegio: siquidem juxta decretum S. Congregationis, jussu Urbani VIII. editum, quod refertur in *tom. 4. Bullar. Constitut. 6. Urbani VIII.* possunt, & de-

bent ab Episcopo loci, ubi moram trahunt comprehendi, ac Superioribus Regularibus consignari, ut secundùm Regularia statuta puniantur. *Barbol. de jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 11. Garcia supra num. 3. Lezana tom. 2. cap. 16. num. 17.* Qui addunt, quòd juxta ordinationem Tridentini *sess. 7. cap. 3. de reformation.* Si longè distent à suis Conventibus, possunt & debent Ordinarii monere illos, ut redeant: & si hoc non proffit, eos carere, & pœnis condignis, pro Apostatis, & fugitivis punire. Quod extendit Concilium ad eos, qui retento habitu divagantur, ratione, aut prætextu alicujus privilegii sui Ordinis: quod expressè statuit Clemens VIII. in quadam Bulla edita anno 1595. & est 3. in ordine Bullarum hujus Pontificis in Bullario Cherubini, quam explicat *N. Lezana tom. 1. c. 26. n. 26. & 27.*

9. Rogabis secundò, an tale exemptionis privilegium competens Regularium Monasteriis suffragetur etiam personis sæcularibus ibi existentibus: ob idque delinquentes in Monasteriis Regularium, non subiaceant pœnis latis ab Ordinario contra taliter delinquentes? § Respondetur affirmativè. Quare si excommunicatio esset imposita contra ludentes aleis, vel esset tali die jejunium præceptum ab Episcopo, sicut non teneretur jejunio, aut incurreret excommunicationem extra Diœcesim existens, ut omnes asserunt; sic neque qui intra Diœcesim degeret, si intra Monasterium eo die esset, vel intra illud luderet. Quod immerito negant  
Sua-

Suarez de Censur. disputatione 5. sect. 4. num. 10. Salas de Legib. disput. 14. sect. 6. num. 85. Alterius de Censur. disput. 5. lib. 3. cap. 5. Sed resolutio præfens constat ex à nobis dictis tom. 2. tract. 10. de Censur. & probatur. Tum: quia iurisdicctio Episcopi non extenditur ad alienum territorium, cap. ut animarum, de Constitut. in 6. Sed Monasterium exemptum, est alienum territorium respectu Episcopi: ergo sicuti ob id statuta Episcopalia non afficiunt loca exempta, sic nec personas ibi existentes, licet alias essent subditæ. Tum etiam: quia licet Monasteria exempta non sint extra Diocesim materialiter, sunt formaliter; siquidem locus exemptus, & locus extra Diocesim æquiparantur, juxta Glossam in Clementin. n. 11. de foro competente. Unde sicuti statuta Diocesana non obligant extra Diocesim, sic non obligant intra exemptorum monasteria. Sic Naldus verb. exemptio, n. 1. Peyrin. tom. 1. privileg. Constitut. 2. Sixti IV. n. 9. Bordon. resolut. 33. n. 12. Pellizzar. tract. 8. cap. 6. sect. 1. n. 88. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 11. n. 5. Garcia tr. 8. diff. 3. dub. 2. n. 1. Diana part. 5. tr. 9. resol. 66. Theophilus Raynaudus tr. de monitionib. part. 1. c. 1. q. 9. Céspedes de exempt. disputat. 227. Avila de Censur. part. 2. c. 3. dub. 5. Fagundes de præcept. Eccl. l. 1. c. 7. n. 7. & 8. Bruno Cassaing. tr. 2. ca. 3. propositi. 5. Henriquez in summ. 1. 13. c. 26. s. 1.

## §. II.

Qualiter Regulares exempti ab Ordinariis locorum, debeant ab eis quoad aliqua civilia?

10. **N**omine rerum civilium in hoc §. omne id intelligimus, quoddam criminalibus rebus discernitur, sive sit in actionibus, & causis, sive in rebus. Quamvis ergo dicta exemptio Regularium sit adeo generalis, non tollit, quod in aliquibus rebus limitetur, & in illis à jure Divino vel humano Episcopis subjiciantur. De subjectione illorum circa administrationem Sacramentorum, dicemus cap. seq. Quantum ad susceptionem Ordinum diximus tom. 2. tract. 10. de Ordin. Quoad renunciationem faciendam à Novitiis diximus hoc tomo, tract. 15. cap. 3. num. 104. In primis ergo Regulares exempti subduntur Ordinariis, quantum ad hoc, quod sine ipsorum licentia petita, & obtenta nequeant de novo erigere monasteria, cap. quidam, cum quatuor sequentibus, 18. quest. 2. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 3. et si forte Religiones habuissent privilegia, ut absque tali licentia id possent, illis in præsentiarum uti non valent, propter Constitutionem Urbani VIII. editam 28. Augusti 1624. revocantem omnes licentias, & facultates à Romanis Pontificibus ad id concessas, & præcipiendo ut omnino circa hoc observetur decretum Tridentini, & dispositio Clementis VIII. Constit. Quonia data

Erigere nova monasteria nequeunt Regulares sine Episcopi licentia.

23. Ju.

23. Julii 1603. in qua mandavit ne Episcopi deinceps hujusmodi licentiam darent, nisi prævio consensu aliorum interesset h. beatium. Et Gregorius XV. Constitut. *Cum alias* 17. Augusti 1622. in qua prohibuit, ne talis licentia concederetur, nisi in eo conventu noviter erigendo, possent sustentari ex redditibus, & elemosynis duodecim Religiosi; quod non habere locum in hospitii asserit Peyrin. *tom. 3. de privilegiis, cap. 12. pag. 307. num. 3. & ex Riccio, & Barbosa, Bordon. tom. 1. resol. 7. num. 114. sed de hoc latius in hoc cap. d. cemus punct. 4. §. 1. per totum. §. Haber etiam Episcopus in Regulares jurisdictionem, quantum ad hoc, quod non possint recipere Ecclesias à secularibus, sine illius expressa licentia. Cap. Decimas 16. q. 7. cap. nullus. de jure patronat. Quod intelligitur de receptione Ecclesiarum à laicis, non de receptione juris patronatus in Ecclesiis, quod recipere possunt à laicis, sine Ordinarii consensu. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia, c. 28. num. 16. Lezana tomo 2. verbo Episcopus, numero 5.**

Absque licentia Ordinarii, libri imprimere non possunt regulares. 11. Subduntur secundò, Regulares exempti Ordinariis, quoad librorum impressionem, quam facere non possunt sine licentia Episcopi in scriptis obtenta, quod sub gravissimis pœnis cautum est in Concilio Lateran. sub Leone X. *sess. 10. Quod postea innovavit Tridentinum sess. 4. decreto de editione & usu sacrorum librorum, ubi sic dicit: nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quoslibet libros de rebus sacris sine nomine authoris, nec illos in*

*futurum vendere, aut apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario sub pœna anathematis & pecunia in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem, & approbationem hujusmodi, licentiam quoque à suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxta formam suarum Ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant nisi antea examinati fuerint eidem pœnis subjaceant, quibus impressores. (His enim in Lateranensi Concilio imposita fuit pœna amissionis omnium librorum, & publicæ illorum combustionis, & centum ducatorum solutionis.) Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint Authores, pro Authoribus habeantur. Ipsa verò hujusmodi librorum probatio in scriptis datur, atque ideo in fronte libri, vel scripti impressi authenticè appareat.*

12. Circa quod decretum notandum est primò, excommunicatione in eo positam, cum nulli reservata sit, à quolibet Confessario posse tolli juxta dicta *tom. 2. tract. 10. de Censur. cap. 2. eodem modo tenet Peyrin. tom. 2. de Pralato, quest. 3. cap. 9. num. 2. §. Secundò, quod licet excommunicatio prædicta Concilii, solum afficiat eos, qui libros de rebus sacris absque authoris nomine imprimunt, vendunt, aut retinent absque debita approbatione; nihilominus juxta regulam 10. indicis librorum prohibitorum autoritate Pii IV. primum editi, & postea à Sixto V. aucti, & à Clemente VIII. recogniti, & publicati, generaliter comprehenduntur omnes*

Aliqua circa decretum Concilii de impressis librorum annotationi.

omnes illi sub dicta prohibitione, & anathemate, sive liber sit de rebus sacris, sive de profanis, sive cum nomine Authoris, sive absque illo. Pro nomine autem Authoris in libris ponendo, sufficit si nomen Collegii, Civitatis, Conventus, vel Communitatis apponatur, quia isti Auctores appellari possunt fictione juris, cum in eis Author degat, Theaurus in praxi, part. 2. verb. libri, cap. 5. Lezana tom. 2. verb. libri, num. 11. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 17. quast. 3. § Tertio, quod dictam excommunicationem, aut alias pœnas, non incurrit Regularis, qui cum licentia Ordinarii libros imprimat, etiam si id faciat absque licentia Prælatorum sui Ordinis, sed pœnas in suis legibus taxatas: quia excommunicationis, & illæ pœnæ assignatæ sunt pro his, qui absque licentia Ordinarii librum typis mandare audent. Suarez tom. 5. in 3. part. disput. 23. sect. 7. Bordon. tom. 2. resolut. 58. num. 20 Pellizzar. tract. 8. cap. 6. sect. 1. n. 58. § Quarto extare decretum Sacræ Congregationis apud Gavantum, quem refert, & sequitur Lezana nu. 9. ubi præcipitur nihil imprimi pertinens ad sacros ritus, inconsulta Sacra Rituum Congregatione: ex quo inferri videtur inquit Lezana, non posse Regulares imprimere ceremonialia sine dicta consultatione. § Quinto, id, quod Concilium dicit: *qui autem scripto, &c.* intelligi de libro consummato, & integro, qualis est ille, qui imprimi solet, & de communicatione facta, ut typis mandetur, vel si communicaretur per modum libri, id est, ea communicatione, quæ

æquivalet impressioni; non de communicatione privata. Sorbus in addition. ad compend. privilegiorum mendicantium ver. imprimere, § 3. Rodriguez tom. 2. quast. 10. art. 1. § Denique cum in eo decreto solum exigatur, quod regularis obtineat licentiam, & approbationem sui prælati, præciso speciali statuto; possunt omnes Prælati respectivè talem licentiam præbere, Generalis in toto ordine, Provincialis in sua Provincia, & Prior in suo conventu, si habeat subditos habiles: vel ipse sit ad examinandum librum, quia verè Superior est prælatus localis. In nostra verò familia concessio talis licentiæ reservatur diffinitorio generali.

13. Subjiciuntur etiam Regulares exempti Episcopis, quoad restituenda novitiis nolentibus profiteri ea omnia, quæ tempore ingressus secum in monasterium detulerunt: ita ut possint ab Ordinario ad id compelli, etiam per Ecclesiasticas censuras. Trident. sess. 25. c. 16. de quo latè egimus hoc volumine tr. 15. de statu religioso. § Habet etiam Episcopus auctoritatem supra dispositionem faciendam à novitiis, ita ut ab ipsis nequeat fieri nisi intra duos menses ante professionem, & cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii sess. 25. c. 16. de quo etiam loco citato tractavimus. § Etiam habet facultatem simul cum Priori, seu Prælato immediato religiosi cognoscendi de nullitate professionis, in his, qui contra eam volunt reclamare, ut latè diximus loco citat. c. 5. n. 15.

Alia apertur, in quibus contra Regulares habet Episcopus auctoritatem.

14. Habet etiam auctoritatem Explorata-  
Ecc Epi-

re pos-  
sunt, &  
debent  
Ordina-  
rii vo-  
luntatem  
monialis  
in Reli-  
gione  
exempta  
professu-  
re,

Episcopus, vel ejus Vicarius, aut alius ab eo deputatus explorandi virginis ingressuræ, aut professuræ in religione voluntatem, an sponte, an coactè id faciant? *Session. 25. cap. 7.* Quod jus introductum est in favorem libertatis puellarum, ne à parentibus coactæ, vel à monialibus allectæ, non autem Spiritu Dei ductæ proficerentur. Sed teneretur Ordinarius intra 15. dies postquam monitus fuerit, hoc examen perficere, ita ut illis elapsis amplius non se debet intromittere, ut constat ex declaratione Pii V. & multoties sic decisum esse referunt Campanil. in *divers. verb. canonic. rubric. 12. cap. 16. num. 10.* Navarr. *tit. 18 de relig. lib. 7. num. 44.* Lezana *tom. 2. verb. Episcop. num. 10.* Ex consuetudine autem receptum est, quod non ante receptionem habitus; sed ante professionem, & semel dumtaxat, tale examen fiat. Miranda in *tractatu de Sacris monialib. quest. 8. art. 4.* Diana *tract. 2. de dubiis regularibus, resolut. 47.* Attamen defectus hujus examinis non vitiat professionem, cum consilium non annullat professionem aliter factam: unde licet tale examen præmittentes peccabunt, professio tamen subsistet. Sanchez *lib. 6. decalog. cap. 4. num. 84.* Barbof. *de potest. Episc. allegation. 100. num. 9.* Bruno *tract. 2. cap. 3. propos. 2. §. punienda.* Et hoc examen non requiritur, quod fiat exeundo; sed intra monasteria debet fieri ad cancellos, seu crates monialium. Lezana *tomo 1. cap. 2. §. numer. 12.* Campanil, *capite 16.* Gavantus *verb. monialium professio. numero 14. & 15.* Quæ omnia ferè sta-

tuit Pius V. his verbis: *Voluntatem etiam quod puellarum Deo dicandarum, an scilicet coacta, vel seducta fuerint, examens faciendum, non nisi intra quindecim dies, postquam juxta Concilium Tridentinum Episcopi vel eorum Vicarii requisiti fuerint, fieri possit. Quibus elapsis, in hoc illis se intromittere non liceat, cujus occasione nec Episcopi, nec ejus Vicarii intra septa monasteriorum ingrediantur, sed stent ante cratem ferream, &c.* §. Etiam habent potestatem circa numerum monialium statuendum in monasteriis, nimirum ut curare debeat, quod in eis talis numerus, & non amplius admittatur, ut ex redditibus propriis, & consuetis elemosynis commode sustentari possint; & hoc tam in monasteriis sibi subjectis, quam in exemptis; sed in his cum interventu Superiorum, juxta Tridentinum. *Session. 25. cap. 3.* & Pium V. *cit. const. Pastoralis,* & Gregorii XIII. in *const. Deo Sacris,* & diversas Sacræ Congreg. declarationes, quas adducit Barbof. *alleg. 98. num. 3.* Tambur. *de jure Abbatissarum disp. 5. quest. 1. n. 4.* Lezana *tom. 2. verb. Episcopus. n. 6.*

15. In causis autem mercedum, & miserabilium personarum possunt Ordinarii contra Regulares procedere, secundum Concil. Trid. *sess. 7. cap. 14.* ubi innovatur constitutio Innocentii IV. in *cap. Nolentes, de privileg. in 6.* in quo statuitur, quod Ordinarii possint procedere contra exemptos, ratione delicti, aut contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illa, de qua infra. Et additur à Concilio, quod in civilibus causis possint

mer,

mercedum, & miserabilium personarum (quales censentur viduæ, pupilli, Orphani, Senes decrepiti, incarcerati, diurno morbo defatigati, puellæ pauperes, nobiles indigentes, peregrini, & similes) Regulares extra monasterium degentes, coram locorum Ordinariis conveniri, & ad solvendum debitum cogi, & compelli possunt. Sed extra monasterium degere illi non intelliguntur, qui ratione prædicationis, confessionis, aut alterius negotii extra monasterium existunt: sed qui permanenter per multum tempus extra monasterium degunt. Imo, neque isti in dicto decreto comprehenduntur, si sub regulari observantia, hoc est, cum dependentia, correctione, & visitatione suorum Prælatorum, adhuc extra claustra vivunt: quia tunc non possunt coram Episcopis conveniri; sed vel coram suis Prælatis, vel conservatoribus. Unde solum loquitur Concilium de illis, qui sine licentia vivunt extra monasterium, vel certè in loco adeo distant, ut nequeant visitari, aut corrigi à suo superiori. Cæteri verò, qui degunt sub regulari observantia intra, vel extra claustra, de similibus causis, nec ratione rei sitæ, nec ratione contractus, aut delicti, nequeunt coram Ordinariis conveniri propter decretum Pauli V. in Bulla, quæ habetur tom. 3. Bullarii n. 31, hujus Pontificis, in qua ad instantiam Procuratoris Generalis nostri Ordinis approbat declarationem S. Congreg. tenoris sequent. Neque constitutione in generali Concilio edita, quæ incipit: Volentes; neque decreto Concilii Tri-

dentini sess. 14. cap. 7. comprehendendi Regulares, ideoque eos juxta eorum privilegia coram suis superioribus, vel conservatoribus esse conveniendos. Cui consonat alia declaratio Sacræ Congregationis edita anno 1573. ubi dicitur: dubitatum fuit an Regulares possent civiliter coram Episcopo à creditoribus suis conveniri? & fuit responsum, quòd possunt conveniri, si non sint sub regulari observantia: at si sint sub regulari observantia non possunt conveniri coram Episcopo, quia habent proprium Superiorem, & nihil habent cum eis commune Episcopi propter exemptionem. Gavant. in manual. Episcop. verb. jura regular. sub Episcop. num. 55. Peyrin. tom. 1. privileg. Minor. in constitut. 2. Sixti IV. §. 11. numer. 29. & 30. Navarr. comm. 2. de regul. num. 63. Rodriguez tom. 2. quæst. regul. quæst. 2. art. 8. Lezana tom. 1. cap. 11. num. 10. Pellizzar tractatu 8. cap. 6. sect. 1. numer. 46. Barbof allegation. 105. à num. 21. Hieron. Garcia in Politic. regular. tom. 1. tract. 8. diff. 3. dub. 1. punct. 2. numer. 7. Henriquez lib. 7. de indulgentiis cap. 25. num. 4. Sanchez in sum. m. lib. 7. c. 31. n. 27. & in Conciliis tom. 2. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 23.

16. Denique subjiciuntur regulares exempti ordinariis quoad processiones, ita, quod vocati ab Episcopis ad processiones publicas tenentur ite vocati ab Episcopis, qui Regulares, etiam monachi ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt. § Ex quo sequitur ita

monachos, quam mendicantes, ex vi hujus decreti teneri ad processiones ire, nisi specialibus sibi factis privilegiis eximantur: quod aliqui perperam negarunt respectu monachorum, cum in Concilio expressè nominentur, & solum excipiantur, qui in perpetua clausura vivunt, ut sunt Carthusiani, & heremitæ Camendulenses. Rodriguez tom. 3. *quæst.* 36. *art.* 1. Barbof. *ad hoc cap.* num. 18. & 19. Bordon, *resolut.* 7. num. 131. § Excipiuntur autem primò Regulares, cujus monasterium ultra mediũ milliare à civitate distat, qui etiam vocati non tenentur ad processiones ire, uti declaravit S. Congregatio apud Cherubinum in *compend.* *Bullar.* tom. 2. in *Bulla* 41. Pii V. Lezana tom. 1. c. 9. num. 47. Portel. *verb. processiones in addition.* num. 2. Garcia *dub.* 2. *punct.* 3. num. 19. Bordon. num. 127. Excipiuntur etiam illi, qui habet post Tridentinum privilegium non eundi ad processiones; ut nos propter strictissimam clausuram, quam profiteamur, habemus, ex concessione Clementis VIII in *Bulla Religiosorum* anno 1596. & in *Bulla Romanum Pontificem* anno 1603. & Pauli V. in *Bulla Decet Romanum* anno 1610. Alii sua privilegia consulant scientes, quòd qui ex privilegio possunt non ire ad processiones; etiam si sæpe sapienter eant, non ob id cogi possunt ad eundem: quia ex hoc, quòd in aliquo casu velint ire, nullum contra eos jus acquiritur. Sanchez in *consil.* *dub.* 2. num. 12. Lezana loco proxime citat. num. 47. & tom. 2. *verb. process.* num. 3. Portel. num. 6. Barbof. de

*jure Eccles.* lib. 1. c. 43. num. 176. Denique excipiuntur, qui consuetudinem habent non accedendi ad processiones, qui non possunt cogi, ut accedant; uti declaratum vidisse à Sacra Congregatione refert Campanile, in *diversorio juris rubrica* 12 c. 13. nu. 18. & tenet Lezana *verb. processio* num. 30. Garcia n. 21. Bordon. n. 134.

17. Sed ut Regulares teneantur ire ad processiones, debent ab Ordinariis vocati personaliter, & non sufficienter, quòd per edictum publicum, ad valvas Cathedralis affixum vocentur; sed per clericum, aut alium nuntium ad eos missum, cum horæ, qua debeant convenire, designatione: quia fortassè edictum affixum non viderunt, neque ad illud videndum accedere tenentur. Pellizzar. num. 68. Cespedes de *exemptione disp.* 20. nu. 5. Bordon. num. 129. Lezana tom. 1. *quæst.* 37. *art.* 1. § Nomine autem Ordinarii veniunt non solum Episcopi, sed Prælati inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem: quia potestas vocandi ad processiones relinquiter à Tridentino illis Ordinariis, qui habent jus eas indicendi. Sed hoc jus habent Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, & alii Ordinarii Ecclesiarum Collegialium: ergo, &c. Cespedes *disput.* 207. num. 4. Lezana *process.* num. 4. Garcia *dub.* 2. *punct.* 3. num. 20. Sed debent esse processiones publicæ, ut ad eas Religiosi accedere teneantur. Publicæ autem processiones dicuntur, quæ fiunt in Litaniis majoribus, & minoribus, in festo Corporis Christi, non in ejus Octava, vel quæ fiunt pro

Cum quibus conditionibus ad processiones teneantur Regulares.

pro bono publico, ut in jubilæis, vel imminente peste, bello, fame, intemperie, vel pro gratiarum actione, constat ex constitutione, *Etsi mendicantium*. Pii V, & declaratione Sacræ Congreg. quam referunt authores citati. § An verò possint per censuras compelli, ut eant qui ad processiones tenentur ire, § sequenti dicemus.

Quas processiones possunt facere Religiosi sine licentia Ordinarii.

18. Circa processiones privatas monasteriorum, seu Ecclesiarum Regularium, est certum non posse eas facere religiosos, præter quam intra Ecclesiam, ejusque monasterii ambitum, sine licentia Episcopi; sed quod extra monasterium non habent territorium, & Sacra Congregatio non semel declaravit, non licere Regularibus hujusmodi processiones facere extra Ecclesias, & ambitum earum. Bordon. *resolut.* 7. num. 133. Lezana *tom.* 1. c. 12. num. 41. & *tom.* 2. verb. *process.* num. 8. Barbof. *de potest. Episcop.* alleg. 78. num. 7. Circa quod datur alia declaratio Sacræ Congreg. Episcoporum, & Regularium, & ita 27. Septemb. anno 1604. qua dicit: *regulares non possunt cum piorum processibus ingredi limites alterius Parochia. sine consensu Parochi*; quæ intelligenda est nisi adsit consuetudo in contrarium; nam consuetudini standum est: præcipue, cum jus commune non contradicat. Villalob. *tom.* 2. tract. 3. §. diff. 5. num. 9. Hieron. Rodrig. *in comp. quest. regular.* *resolut.* 118. n. 10. Bordon. *loc. citat.* Vel nisi circa hoc conventus habeat aliquod privilegium. Tamburin. *tom.* 1. *disp.* 15. *quest.* 7. n. 29.

Aliquæ

19. Sed circa id, quod possunt

Regulares in suis Ecclesiis, magnæ difficultates à & parochi: ob quod consultata est Sacra Cardinalium Congregatio, quæ respondit die 2. Julii anno 1620 ut constat ex fideli transumpto authentico sident facienti, quod remissum est Eminentiissimo Cardinali de Bologna Ludovisio Archiepiscopo, & Principi illius civitatis. Difficultates erant quatuordecim; ad quas ordine sequenti, responderet Sacra Congregatio. § Prima erat si poterant regulares in suis Ecclesiis dies festos, & jejunia populo annuntiare tempore offertorii in Missa, sicut parochi faciunt in suis Ecclesiis? Et respondit: *non prohiberi dies festos & jejunia in suis Ecclesiis nuntiari.* in quo fere non est dubium inter doctores; imò posse Episcopum cogere Regulares, necessitate id exigente, quod in suis Ecclesiis, tempore Missæ majoris, quod populus concurrit, publicent festa, & jejunia, ut à fidelibus observentur: & ita Lusitanæ vidisse practicum testantur tres Lusitani Doctissimi Portel. verb. *Episcopus* n. 7. Barbof. *de jure Ecclesiastic.* lib. 1. cap. 43. num. 150. Emanuel Rodriguez *tom.* 1. *quest. regul.* *quest.* 43. art. 7. § Secunda si poterunt recipere oblata, vulgo, *ofrendas del pueblo* in Missa conventuali, & pacem populo dare? Respondit: *posse, dummodo à perambulatione per Ecclesiam, ac similibus elemosynarum extorsionibus abstineant.* § Tertia, si per Parochiam extra Ecclesiam portare pallium, vel pluviale? Respondit: *non posse.* § Quarta, quando vocantur ad corpus defuncti tumulandum, si debent

bent ire ad Ecclesiam; ubi clerici congregantur, vel ad domum defuncti, vel certe illos debeant in itinere expectare? Respondit: *Debere ad Parochialem Ecclesiam accedere, ubi clerus congregari consuevit.* Sed contrarium est jam consuetudine introductum, cui consuetudini standum est, ut docet Lezana tom. 1. cap. 1. num. 47.

§ Quinta, si possunt celebrare primam Missam, diebus festiuis, antequam parochus in sua parochia Missam celebret? Respondit, *prohiberi non posse, quo minus missa in Ecclesiis regularium celebretur ante missam parochialis Ecclesie.* § Sexta, si possunt in missa publicare præcepta Ordinarii, & admonitiones pro matrimoniis? Respondit: *non posse publicare matrimonia, in quo tace aliam partem concessit.* § Septima, si possunt prædicare in suis Ecclesiis tempore adventus, & quadragesimæ, si in parochiali prædicetur? Respondit, *posse: petita tamen benedictione Episcopi.* § Octava si possunt portare pallium, & stolam, quando processiones sui ordinis extra suas Ecclesias faciunt? Respondit non licere Regularibus huiusmodi processiones facere extra Ecclesias, & ambitum illarum. § Nona, si possunt admittere in suis Ecclesiis mulieres, quæ prima vice post partum, ut prolem Deo offerant, accedunt? Respondit, Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere.

§ Decima, si quando Religiosus aliquis extra conventum moritur, cui parochus Sacramenta administravit, si poterunt cadaver inde extra-

here, & ad monasterium adducere? Respondit, Regulares extra claustra decedentes, posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam parochis inconsultis. Alia non sunt ita necessaria, quæ prætermittimus.

## §. III.

*An ordinarii possint per censuras regulares exemptos compellere ad ea, in quibus ex iure sunt illis subditi?*

20.] Ndubitarum est in aliquibus casibus, posse Episcopos compellere Regulares per censuras ad obediendum; ut in tribus casibus in Tridentino expressis. Primus habetur apud Tridentinum sess. 25. c. 16. ubi concedit Episcopis, ut possint per censuras regulares compellere, ut exeuntibus à religione novitiis, restituant quidquid in ingressu attulerunt. Secundus eadem sessione c. 5. contra moniales clausuram non observantes. Tertius est sess. 12. de observationibus in celebratione missarum, contra celebrantes in Oratoriis privatis, vix alius textus invenitur in iure concedens Ordinariis expresse, ut contra regulares exemptos possint per censuras procedere, licet plurimi alii casus dentur, in quibus subjiuntur illis; tã in civilibus, quàm in criminalibus: ut sunt omnes de quibus in hoc puncto egimus, & agemus, & alii, quos omitimus. Quæritur ergo modo, an in reliquis casibus, in quibus Regulares subjiuntur Ordinariis, possint contra

tra

tra inobedientes per censuras procedere, præter tres illos enumeratos.

**Senten-** 21. Affirmat prima sententia, quæ  
**tia affir-** probatur primò: quia delegata jurif-  
**mans** dictione alicui, ei intelligantur con-  
**posse E-** cessa ea omnia, sine quibus illa exple-  
**pisco-** ri non potest: sed Episcopi non pos-  
**pum per** sunt compescere regulares inobediē-  
**censuras** tes, nisi utatur censuris; ergo censetur  
**proce-** facultas ad illas, eis concessa in dele-  
**dere,** gatione jurisdictionis in illos. § Secū-  
**quoties** dò: quia jurisdictio contentiosa sem-  
**potest a-** per habet coactionem. *Cap. Pastora-*  
**liquid** *lū, 18. initio de officio deleg. & ibi glos-*  
**Regula-** *sa:* Sed Episcopus vix potest cogere  
**ribus** sine censuris: ergo in facultate illis  
**impe.a-** concessa ad cogendum, conceditur  
**re.** facultas ad censurandum. § Tertiò:  
quia possunt Episcopi per censuras  
compellere Regulares iure ad proces-  
siones, ut multoties declarasse Sac-  
ram Congregationem testatur Sor-  
bus in *compend. privileg. regular. verb.*  
*processio.* Barbol. *de jure Eccl. sistico*  
*libro 1. cap. 43. numero 163. & 164.*  
Et tamen in decreto Concilii supra  
relato, quo illis ad compellendum  
Regulares, ut ad processiones acce-  
dant, facultatem concedit, non dicitur  
per censuras posse id facere: ergo  
idem dicendum est in aliis casibus, in  
quibus eis facultas in regulares cōce-  
ditur, tamen si in eis non exprimitur,  
ut possint procedere ad censuras. Sic  
tenent Salzedo apud Sanchez infra  
citandum, Riccius, & Gemenis apud  
Dianam, *de dubiis regular. resol. 76.*  
*Bordon. resol. 7. n. 9.* Rodriguez *to-*  
*mo 2. qu. 63. art. 7. in fine,* licet opposi-  
tum teneat loco à nobis adducendo,  
Pialetius in *sua praxi Episcop. part. 2.*

*cap. 3. num. 52. § delinquentes.* Barbofa  
*loco citat.* Garcia *tract. 8. diff. 3. dub. 2.*  
*punct. 3. n. 18.*

22. Sed probabiliorem judicamus  
sententiam negativam, quæ proba-  
tur primò: quia ut refert idem Barbo-  
fa, in *remission. ad Concil. Trident.*  
pluries declaratum est à Sacra Con-  
gregat. non posse Episcopos per cen-  
suras cogere regulares ad processio-  
nes ad quas tenentur accedere: & sic  
de illis declarationibus, quas ipse ad-  
ducit loco pro contraria sententia ci-  
tato, cum non constet authenticè, nō  
multum est curandum. Secundò:  
quia sic manifeste colligitur ex jure  
communi in *cap. Nolentes, de privileg. in*  
*6.* Et licet hoc in jure non esset ex-  
pressum, plura dantur privilegia regu-  
larium, in quibus eis cōceditur, quòd  
non possint excommunicari, suspen-  
di, aut interdicti ab Episcopis, quibus  
standum est quamdiu non revocan-  
tur, per facultatem illis expressè con-  
cessam ad procedendum per censu-  
ras contra illos, quæ nullibi expressa  
reperitur. Dicitur privilegium con-  
cessit Societati Paulus III. anno 1549  
in *Bullar. Societatis fol. 35.* Honorius  
III. Innocentius IV. Urbanus IV.  
Ordini Cisterciensium, Leo X. Ca-  
mandulensibus, Sixtus IV. Fratribus  
Carmelitis, ut habetur in *speculo*  
*ordinis folio 87.* Et plura alia dantur,  
quæ apud citandos auctores videri  
poterunt. § Tertiò: quia quando  
Concilia, vel Pontifices volunt fa-  
cultatem concedere Ordinariis, ut  
possint procedere per censuras cō-  
tra regulares, id expriment, ut in tribus  
casibus numero 20. relatis: ergo in  
reli-

Non  
semper,  
cum E-  
piscopus  
potest  
Regula-  
res co-  
gere, po-  
test cen-  
suras in  
eos ferre.

reliquis ubi non exprimitur talis facultas, illis non conceditur, licet in illos aliquam exercere potestatem concedatur. Ita Lezana *tom. 1. cap. 11. num. 14.* & *tom. 2. verb. exemptio num. 11.* & *verb. process. num. 2.* Sanchez *l. 7. de matrimonio disp. 33. num. 23.* & *tom. 2. consilior. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 28.* & *in sum. lib. 6. cap. 1. num. 14.* Bruno *tract. 2. cap. 4. propos. 4 & 5.* Cordub. *lib. 3. quest. 43.* Portel *in addition. verb. Episcopus, num. 5.* & *verb. process. num. 1.* Tambur. *de jure Abbatum tom. 1. disp. 19. quest. 7. numer. 7.* Villalob. *part. 2. tract. 35. diff. 5. n. 17.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 6. sect. 1. n. 44.* Verum licet per censuras compelli non possint Regulares ab Episcopis, nisi in casibus sibi à jure expressè concessis: possunt tamen aliis pœnis ad obediendum cogi, juxta *cap. 1. de privilegiis in 6. v. g.* Ut eant ad processiones, ad quas tenentur ire, possunt Episcopi illos compellere deponendo Superiores, vel contradictores, privando prædicatione verbi Dei, vel etiam pœnis pecuniariis.

In casibus à jure concessis, potest Episcopus Regularem excommunicatum denuntiare.

23. Sed adhuc difficultas est, an licet Episcopus non possit in casibus dictis excommunicare Religiosos, possit eos publicare, denuntiare, vel declarare excommunicatos, ut evitentur casu, quo eos aliquod delictum commisisse certo sciat, cui annexa est ex jure, vel ex aliqua Apostolica Bulla excommunicatio ipso facto incurrenda: ut si sciat regularem Clericum percussisse. Quare non loquimur, quando Religiosus excommunicatus est ab homine; nimirum ab ipso Episcopo in casibus sibi

concessis; quia tunc posse illum publicare excommunicatum, ut alii non communicent cum eo, nulli dubium est: quia qui potest excommunicare, potest etiam denuntiare talem à se excommunicatum, eò quòd judicium ab eo faciendum est, à quo coeptum fuit. *l. ubi coeptum, l. si quis potest, ff. de judic. cap. non posuisti 19. de foro compet.* Nec etià loquimur in casibus, in quibus Episcopis concessum est à jure, denuntiare censuratum eum, qui à jure latam incurrit censuram, ut in *Clementina 1. de privilegiis.* ubi conceditur illis denuntiare regulares excommunicatos, qui administrant Sacramenta Extremæ Unctionis, Eucharistiæ, & Matrimonii sine licentia, & abolverit à reservatis censuris à Canone, aut Synodis, aut Conciliis. Loquimur ergo, quando hæc non habent ex jure sibi expressè concessum, ut in casu dicto de percussite Clericum, & similibus.

24. Sunt qui affirmant posse Episcopum in casu dicto excommunicatum denuntiare regularem, qui à jure excommunicatus est; eò quòd minor jurisdictione ad denuntiationem, quam ad excommunicationem requiritur. Unde quamvis non possit excommunicare, potest denuntiare, quem jam excommunicatum invenit. Ita Felinus *in cap. potest. num. 3. de re judicata.* Henricus *lib. 7. cap. 25. n. 7.* Alterius *de censuris, tom. 1. disput. 20. lib. 3. cap. 5. sine.* Bassæus *verb. exempt. num. 7.* Rodriguez *tom. 2. quest. 63. art. 11.* Pialetius *in praxi Episcop. norissim. part. 2. cap. 3. §. 6. num. 59.* § Alii probabilius cum distinctione

Non potest Episcopus Regularem à jure excommunicatum denuntiare, ut evitentur

re-

respondent, & dicunt non posse Episcopum, nisi quando delictum est publicum, & notorium, ita ut non possit ulla tergiversatione celari. Et quod non possit Episcopus extra causam notorietatis denunciare regularem excommunicatum, probant: quia denuntiatio est actus judicialis prærequirrens citationem, ut possit se reus defendere, & causæ cognitionem, quæ proculdubio requirunt superioritatem, ut à iudice competenti fiant: quam non habet Episcopus, nisi expressè illi à Pontifice concedatur, in regulares exemptos. Quod in casu notorietatis delicti possit, ex eo probant: quia tunc nec citatio, nec causæ cognitio requiritur; siquidem in notorijs non est necessaria cognitio judicialis, *cap. 1. de officio delegat. Diana part. 3. tract. 2. resolut. 35. Barbol. de officio Episcop. part. 3. allegat. 105. num. 73. Ugolin. de potest. Episcop. cap. 20. §. 10. num. 1. Lezana tom. 1. cap. 11. n. 15. & tom. 3. verb. exemptio, num. 9. Garcia num. 14. Pellizzar. tract. 8. cap. 6. sect. 1. num. 45.* § Sed verius iudicamus adhuc in casu, quo delictum esset notorium, non posse talem denuntiationem Episcopum facere: quia actus denuntiationis est actus judicialis, qui solum à iudice competenti, ac proinde à superiori valet exerceri: ergo si Episcopus non potest facere citationem, aut cognitionem causæ, quia sunt judiciales actus, præambuli ad denuntiationem; multo minus poterit actum citationis, qui est principalis, ad quem illi ordinantur; cum non sit major ratio dicendi illum esse iudicem competentem in

actu denuntiationis, & non in alijs præambulis, Peyrinis tom. 1. constit. 2. Sixti IV. §. 10. num. 13, Bordon. tom. 1. resolut. 7. num. 10, Portel. verb. Episcopus. num. 5. & 9. Bruno tract. 2. c. 5. proposit. 6.

§. IV.

An regulares exempti teneantur legibus Diœcesanis, & præceptis ab Episcopis impositis?

25. **S**upponendum est in præsentibus regulares exemptos, non teneri interesse Concilijs Provincialibus, aut Synodis Diœcesanis; at si Parochi sint ad id tenentur, & cogi ad hoc possunt. Hoc ultimum constat ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 2.* & ibi Barbol. num. 28 quod etiam alij communiter docent. Primum vero probatur: tum *ex cap. Episcopus. 18. cap. finali 18. quest. 2. §. canonice. cap. nimis. 17. de excessibus Prælatorum.* Tum etiam: quia in Tridentino loco citato additur: *exceptis his, qui capitulis generalibus subduntur.* Quales certè sunt omnes regulares exempti. Tum deinde: quia circa hoc habent Regulares specialia privilegia; ut est illud, quod concessit Eugenius IV. Benedictinis, quod adducit Rodriguez in suo Bullario. & est Bulla 7. §. 2. & Leo X. Camandulensibus Bulla 2. huius Pontificis apud Cherubinum, §. 26. Tum denique: quia circa hoc dantur plures sacræ Congregationis declarationes: unam adducam, quam refert Barbol. super locum citatum

Aliqua supponuntur ad difficultatis resolutionem.

Tridentini, edit. 26. Augusti anno 1524. quæ sic dicit: *Congregatio Julij censuit regulares, qui subduntur Capitulis generalibus, non posse cogi ab Episcopo ad interessendum Synodo, nisi in casu expresso.* Atque ita sentiunt Barbof. loco citato num. 28. Bordon. resol. 7. n. 5. Garcia tract. 8. diff. 3. dub. 5. num. 1. Tambur. disput. 24. quest. 3. num. 5. Lezana tom. 1. cap. 11. num. 20. Peyrin. tom. 1. constit. 2. Julij II §. 25. n. 64. & alij communiter. Quibus suppositis.

Senten-  
tia asse-  
rens re-  
gulares  
legibus  
diœcesis  
tene-  
ti.

26. Circa quæsitum datur duplex sententia. Prima affirmat regulares quantum ad vim directivam (& sic in conscientia) teneri ad observantiam legum, quæ in Synodo Diœcesana, vel Concilio Provinciali sancuntur, in his, quæ suæ regulari observantiæ non præjudicaverint; non vero quoad vim coactivam: & sic non incurtere pœnas in eis contra non observantes impositas; probatur modo dicto legibus Diœcesanis adstringi: quia pars debet conformari suo toti in his, quæ illi non præjudicant: ergo leges Synodales, quæ ad communem observantiam, & totius populi devotionem, & cleri spectant, obligabunt regulares, qui sunt etiam partes illius Reipublicæ. Unde si in illis indicetur aliquod jejunium, in aliquo die particulari, tenerentur illud observare regulares, quod à tota civitate observetur, & suæ regulari observantiæ non opponatur. Sic Vasquez 12. tom. disp. 167. cap. 4. num. 32. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 15. num. 11. Villalob. tom. 1. tract. 2. dub. 31. num. 4. Becan. in summ. Theolog. part. 2. tract. 3.

cap. 6. quest. 11. num. 3. Lorca de legibus, disput. 25. memb. 4. Rodriguez in summ. part. 1. c. 122. num. 1. à sancto Fausto lib. 1. de statu relig. q. 257.

27. Sed dicendum est: minimè Legibus, aut statutis Diœcesanis, nec ab Episcopis laicis, non adstringuntur regulares religiosos exemptos subjeci decretis contentis in Synodis, aut Concilijs, neque quoad eorum observantiam, nisi quatenus religioso aliquo funguntur officio dependente ab Episcopo; ut Officio Parochi, concionatoris, confessoris, &c. quia tunc in his, quæ talia officia concernunt, dictis legibus subjacent; & consequenter neque particularibus statutis, aut præceptis Episcoporum adstringi, vel ad illas observandas posse compelli. Tres partes habet assertio: & quoad ultimam supposita priori, nulla remanet difficultas, & maximè probat exemptionem regularium à jurisdictione Episcopi, & sic etiam ab eo actu jurisdictionis, qui est legem ferre. Deinde probatur: quia regulares exempti non tenentur parere Episcopis nisi in casibus à jure expressis, cap. 1 de privilegijs in 6. ibi: *Salvis casibus alijs, in quibus jurisdictioni Episcoporum subesse, canonica præcipiant instituta:* sed in jure Canonico nullum est decretum præcipiens exemptos parere legibus, aut præceptis Episcoporum, nisi in duobus casibus positis à Tridentino sess. 25. c. 12. de regular. nimirum, quoad observationem festorum, & censurarum quæ ab Episcopo imponuntur: ergo in alijs minimè tenentur: & sic nec ad jejunia ab Episcopis præcepta erunt obligati: quia Concilium subjiciens illos ordinarijs quoad duo dicta,

dicta, nullam de jejuniis mentionem fecit, in quo eos liberos à tali obligatione iudicat, atque ita tenent Faguindez *præcept. 4. Eccles. lib. 1. cap. 7. num. 4. Azor. p. 1. lib. 7. c. 30. q. 2. Pellizzar. n. 64. Bruno, Garcia, Diana, Bordon. locis pro prima parte conclusionis citandis.*

Tenen-  
tur regu-  
lares ob-  
servare  
leges Sy-  
nodales  
concer-  
nentes  
sua offi-  
cia.

28. Secunda vero pars assertio- nis, nimirum quod tenentur obser- vare decrera concernentia, quæ spe- ctant ad officia, in quibus ab Episco- po dependent, probatur. Quia diver- so iure censeri non debent, qui eo- dem funguntur officio, *cap. cognovi- mus 12. quæst. 2. cap. Cum in tua. de de- cimis, cap. quia circa, de privilegiis.* Quia dignum est, ut qui similem vitam de- gunt, seu simile habent officium, similem quoque sentiant in legibus disciplinam, *cap. 3. de statu Monachor.* Maximè quia religiosus subditur E- piscopo quoties gerit personam ex- tranei non spectantis ad suam reli- gionem, ut in qui. Barthol. *in l. inter- dum, §. fin. de iudic.* Et post eum De- cius *in cap. tuarum, de privilegiis;* ergo, &c. Cæterum non ob id tenentur pœnis, vel censuris in Synodalibus, vel Concilijs contra transgressores assignatis: quia Ordinarius non po- test pœnis multare regulares delin- quentes, nisi tanquam Sedis Aposto- licæ delegatus, ut patet ex diversis ca- pitibus Tridentini: ubi quoties con- ceditur Episcopis, ut possint vi co- activa procedere contra regulares, hanc facultatem illis tribuunt non ut ordinariis; sed ut delegatis Sedis Apostolicæ: sed Episcopi condendo suas leges in Synodis, vel Concilijs,

seu extra, non procedunt ut delegati; sed ex officio suo, & iure ordinario, ut de se patet: ergo regulares, nec ra- tione officij sui, delinquentes incur- runt pœnas legales Synodorum, Sic Portel. *versu Episcopus, n. 5. Miranda tom, 2. q. 35. art. 11. Sanchez lib. 7. dis- put. 33. n. 22. & 23. Rodrig. tom. 2. q. 64. art. 7. fine.*

29. Prima vero pars, quod abso- lute regulares exempti non tenentur legibus, aut statutis synodalibus, aut Concilijs Provincialibus latis, proba- tur. In primis rationibus, quibus ter- tiam partem probabimus: maximè quia leges synodales totam auctori- tatem ab Episcopo habent, ut dixi- mus *tom. 3. tract. 11. de legibus, c. 3. n. 31.* Deinde probatur ex dictis *n. 25.* quia ratio quare omnes Clerici vocati ad Synodum vel Concilium teneantur ire, ea in iure assignatur: quia cum te- neantur legibus in eis sancitis, debent notitiam earum capere, & ad alios derivare: ergo cum religiosi non te- neantur ire, signum est non ligari sta- tutis ibi propositis. Et deducitur ex *cap. quam sit necessarium 18. q. 2. & c. 1. de privileg. in 6. & ex Trident. sess. 25. c. 12.* Ubi cum solum præcipiantur observari à regularibus festa, & inter- dicta synodalia, ab alijs legibus, & in- terdictis Synodi exempti, in sua liber- tate relinquuntur, quod eorum ex- emptio ex se, & ex natura sua postula- bat, nisi expressè oppositum in iure de- cernatur, quod nullibi cautum reperit- tur: quare nisi ratione scandali vi- tandi, non tenentur leges in Sy- nodis, vel Concilijs latis, ob-  
Fff 2 ser-

Religiosi  
exempti  
absolute  
sunt à le-  
gibus  
Diocese-  
sanis  
liberi.

servare. Nec conformitas partium cum toto id exoptulat, quod dicebat prima sententia: quia pars heterogenea non debet in omnibus cum toto conformare; sed sufficit, quod in communibus pro toto corpore conformetur. Religiosi autem sunt partes heterogeneæ respectu aliorum, cum quibus in eo communicantibus toti Ecclesiæ obligationibus conformantur; & habent proprias leges, propria onera, & observantias: & sic nil mirum est, quod ab obligationibus Diocesanis eximantur. Sic Glossa in cap. dilectus filius, de officio Ordinarij. Tambur. tom. 1. disput. 24. q. 4. Granados disp. 6. de legibus, sect. 3. n. 18. Suar. lib. 4. c. 20. n. 9. Basil. Legionensis, de matrim. lib. 5. cap. 7. num. 31. Portel. in dub. Regul. verb. lex, num. 1. Lezana tom. 4. verb. leges, numero 27. Zanardus in suo direct. Theolog. part. 2. precept. 4. cap. 10. sine Bruno tract. 2. cap. 3. propus. 5. Diana 1. part. tract. 10. resolut. 11. Hieronymus Garcia tract. 8. diff. 3. dub. 5. n. 4. Lorca in 1. 2. tom. 2. disp. 25. memb. ultim. Salas de legibus, tract. 14. sect. 4. num. 43. Llamas in method. p. 3. cap. 5. §. 28. sine Bordon. tom. 1. resolut. 7. num. 6. & alij.

Qualiter festa Diocæ-  
fana teneantur  
regula-  
res ob-  
servare?

30. Sed in duplici casu diximus subijci regulares Dominis Episcopis, ex Trident. sess. 25. cap. 12. nimirum, quoad observantiam interdicti ab ipso impositi, de quo egimus tom. 2. tract. 10. de censur. cap. 6. num. 30. ubi etiam diximus ex Clement. 1. de sentent. excommunic. debere illud observare, sive validum sit, sive non; dummodo à Matrice observetur, & quo-

ad observationem festorum Diocæsanorum; ita quod in eis sive intra, sive extra claustra sint, quando in Diocæsi existunt, debent abstinere ab operibus servilibus, & Missam audire. § At non tenentur ad festa votiva populorum, tamen ab Episcopo confirmata: quia Concilium de festis Diocæsanis indictis ab Episcopis loquitur; non vero de votivis populorum, quæ licet ab Episcopo confirmentur, non amittunt suam originalem rationem, nec desinunt esse festa votiva. Naldus verb. festum, num. 4. Rodriguez tom. 1. quest. 70. art. 1. Pellizzar. tract. 8. cap. 6. sect. 1. num. 61. Navar. in summ. cap. 22. num. 80. Et hinc fit non teneri ad festa particularia, etiam ab Episcopo imposita pro aliqua particulari Parochia, & non pro toto territorio: quia cum præceptum Tridentini, quo Regulares exempti subduntur Episcopis quoad observantiam festorum sit odiosum; non est extendendum, sed restringendum ad sola festa diocæcana simpliciter dicta, qualia solummodo sunt, quæ pro tota Diocæsi imponuntur; non quæ ad particularia loca determinantur. Sic ex sententia aliorum, quos consuluit Pellizzar. num. 62. Idem de interdicto, quod non generaliter pro toto oppido; sed pro particulari Parochia imponitur, etiam si Ecclesia Matrix interdicatur; quod illud non tenentur observare Regulares, tenent Rodriguez tom. 2. questione 168. articulo secundo, Garcia dubio 5. punct. 3. numero secundo. § Denique non tenentur ad festa ex consuetudine vel locorum, vel Ec-  
cle-

elefiatum introducta, nisi fuerit generalis, & consensu omnium præscripterit: quia ex vi Tridentini non tenentur; hoc enim solum obligat ad festa ab Episcopo indicta: nec etiam ex vi consuetudinis, quia ut diximus tract. 11. de legibus, cap. 6. num. 3. Consuetudo non obligat nisi dumtaxat illos, qui ad eam consensum præbuerunt. Et datur circa hoc privilegium Eugenij IV. concessum Monachis S. Benedicti in Hispania, ut refert Rodriguez tomo secundo, questione 62. articulo primo. Concedens, quod solum teneantur colere illa festa, quæ ab universali Ecclesia observantur; non vero ea, quæ sunt ex consuetudine particularium locorum.

§. V.

*Possintne Ordinarij locorum visitare personas, Ecclesias, Monasteria, Parochias, Confraternitates Regularium exemptorum?*

Ecclesias, aut Monasteria Regularium exemptorum nequit Episcopus visitare.

31. **I**N primis certissimum est, non posse Episcopos visitare Peronas, aut Monasteria exempta, nec iis imponere aliquod onus, nec eos examinare, neque in aliquo ad regimen temporale, vel spirituale illorum spectans, se intromittere, ut decisum est, in cap. Nulli Episcoporum, cum sequentibus, 16. questione prima, cap. cognovimus. 10. questione 3. Trident. sess. 25. c. 8. Quod ex omnibus privilegijs exemptionis, manifestè constat, & colligitur. Imò nec potest Ecclesias illorum visitare, tabernaculum Sanctif-

simi Sacramenti invisere, nec Capellas, aut proprias Confraternitates Religionis, nisi rescriptum particulare Papæ ad hoc ostenderit, ut colligitur manifestè ex Trident. sess. 25. c. 20. Ad quod dantur plurimæ declarationes, quas referunt Lezana tom. 1. cap. 11. num. 7. & tom. 2. cap. 15. à num. 27. Rodriguez tom. 1. quest. 36. artic. 4. Peyrin. tom. 1. constitut. Sixti IV. cap. 2. num. 6. Barbof. lib. 1. de jure Ecclesiast. cap. 14. num. 24. nisi in casu, quo Regulares haberent res indecentes, aut prohibitas in suis Ecclesijs permitterent: quia tunc per Concilium Provinciale posset illas visitare, & etiam censuris contra Regulares procedere, secundum quandam declarationem Cardinalium, quam adducit Barbofa circa sessionem 22. ad finem decreti de observandis, & evitandis in celebratione Missarum. Hieronym. Garcia tract. 8. diff. 3. dub. 2. punct. 1. n. 3.

32. Sed objicies, quod Tridentinum sessione 7. capite 8. sic dicit: Locorum Ordinarij Ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, Authoritate Apostolica, singulis annis visitare teneantur. § Respondetur ad hoc, Concilium loqui de Ecclesijs secularibus exemptis, antea habentibus privilegia, ut ab Ordinarijs non visitarentur. Quæ ex vi illius decreti debent ab Ordinarijs visitari. Quod autem de secularibus Ecclesijs modo dicto exemptis loquatur, non vero de Regularibus, constat: Tum, quia sessione 14. capite quinto, de reformatione, sic dicit: Quoad visitationem debere observari Regularium, & suorum monasteriorum, & Ecclesiarum jura, & exemptiones. Tum

Objectione ex Tridentino dissolvi:ur.

etiam: quia duo Domini ejusdem rei in solidum esse non possunt: essent autem duo Domini, si Episcopus, & Prælatus Regularis possent eandem Ecclesiam visitare, vel Ecclesia, quæ secundum juris dispositionem est indivisibilis, esset divisa.

Alia ob-  
jectio ex  
jure, di-  
luitur.

33. Sed urgebis, quia jus committit omnes Ecclesias Episcopi gubernationi in cap. decretum 10. questione 1. ibi: *Decretum est, ut omnes Ecclesia, cum dotibus suis, & decimis, & omnibus suis juribus, in Episcopi potestate persistant, atque ad ordinationem suam semper pertineant* Idem habetur cap. Episcopum 10. questione prima. § Respondetur, textum esse intelligendum de Ecclesiis propriis eorum, seu quæ non sunt ab eorum potestate erutæ, ut sunt exemptæ: quia solum loquitur de Ecclesiis Diocæsis, quas visitare possunt, & debent. At Ecclesiæ exemptæ, ut sunt Ecclesiæ exemptorum, sunt extra diocæsim: *Quia locus exemptus quoad exercendam jurisdictionem per Episcopum, equiparatur loco existenti extra diocæsim, ut loquitur Altamiranus de visitatione, verbo, propriam diocæsim, n. 48. fol. 22. col. 2.*

Qualiter  
possint  
Episcopi  
visitare  
Ecclesias  
Paro-  
chiales,  
quibus  
Regula-  
res inter-  
viunt?

34. Imò nec potest Episcopus visitare Ecclesias Parochiales sæcularium subditas Regularibus, quæ administrantur per Parochum Religiosum, nec istum punire potest, etiam in defectibus ad administrationem sui officij pertinentibus; sed in omnibus, & per omnia hi Religiosi Parochi subiecti sunt suis Prælatis, à quibus dictæ Ecclesiæ possunt, & debent visitari. Sic Congregatio Car-

dinalium decrevit, explicans Concilium sessione septima, capite octavo, de reformatione, his verbis; *Congregatio Concilij censuit posse Episcopum visitare quascumque Ecclesias sæculares intra fines sua Diocæsis, etiam si ad Regulares pertineant, & ab eis dependant; dum tamen per sæculares eisdem serviantur.* Eodem modo loquitur sacra Congregatio in alia declaratione, quam adducit Barbosa ad caput octavum, sessione 21. Trident. tenoris sequentis: *Per vim hujus decreti licet Episcopo visitare omnes Ecclesias, etiam Regularibus subiectas, dummodo illarum Ministri sint sæculares: ergo quando illarum Ministri non sunt sæculares, sed Regulares, non poterunt ab Episcopis visitari, quia exceptio firmat Regulam in contrarium, quod est inter Doctores communissimum. § Poterunt tamen visitare Ecclesias Parochiales, quæ sunt extra Monasteria, si Ecclesia non sit juncta, vel annexa Monasterio; sed plenè subiecta Episcopo, etiam si religiosus illi interserviat, etiam si præsentatus sit à suo Conventu cum approbatione Episcopi: quem potest etiam punire, non quidem ob delicta personalia, sed ob defectus in officio, illius rationem petere, & de his, quæ ad sacramenta pertinent inquirere; juxta caput decimum quintum, in eos, de privilegijs, in 6. cap. Parochia 16. questione 1. Trident. sess. 7. c. 8. de reformat. & sess. 15. cap. 11. & sess. 6. cap. 3. § Sed notat bene Bellarm. in annotationibus ad cap. 7. sess. 7. de reformat. Quod casu quo delinquat Religiosus in rebus ad suum officium, vel administrationem*

Sacra-

Sacramentorum pertinentibus, illum punire debet Episcopus secundum Regulas suæ Religionis, ac si delictum intra claustra commissum esset. Notat etiam Tamburin. tom. 3. *disputatione 5. questione 11. num. 50.* Barbo- ta in *pastoral. allegatione 74. num. 18. & 20.* Quod non solum Regularis, de quo loquimur, subjicitur Episcopo in pertinentibus ad sacramentorum administrationem; sed etiam in concernentibus illa, v. g. qua reverentia Sanctissimum Sacramentum custodiatur, qua decentia altaria sint disposita, qualiter tractentur ornamenta, &c.

Qualiter Episcopus possit visitare Ecclesias Regularium, quibus sæculares inferviunt.

35. Possunt etiam visitare quascumque Ecclesias, quamvis conventibus sint annexæ, si per sæculares Parochos administrantur, & præcipere totum concernens ad administrationem Sacramentorum, vel quomodo libet perueniens ad dictas Ecclesias, tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Trident. *sess. 7. cap. 7. & 8. de reform. & sess. 25. cap. 11. de Regular.* Talis potestas extenditur secundum diversas declarationes Cardinalium, quas afferunt Bellarmin. & Barbof. *ad cap. 7. sess. 7. Concilij*, ad Ecclesias Parochiales subditas conventui, qui est caput Religionis, nisi cum Monasterio sint incorporatæ, vel in illis habeat Generalis jurisdictionem quasi Episcopalem; vel denique per Religiosos eis inferviatur. Excipiuntur autem Ecclesiæ, & Parochiæ Conventibus subjectæ, quæ nullius sunt Diocesis, ut est Abbatia de Parrazes, & Ecclesia oppidi del Escorial, & plures

aliæ in Hispania, quia istæ omnino exemptæ sunt ab Ordinatorum visitatione, & solum per Priores dictorum Monasteriorum, vel ejus ministros visitari possunt. Tum ob plura privilegia Lucij III. Gregorij Magni, quæ circa hoc refert Hieronymus Rodriguez *resolut. 13. num. 15.* Tum ob plures declarationes sacræ Congregationis, quas ad longum referunt Bellarmin. & Barbof. *locis citatis*, & hic ultimus *de jure Ecclesiæ. l. primo. c. 14. numero 24. in collect. Bullarum Apostolicæ. extra jus collect. 4. verb. Abbatia, numero 4.* & affert plures alios.

36. Possunt etiam Episcopi visitare Confraternitates sæcularium fundatas in Monasterijs exemptis; sed non illarum Capellas, vel altaria. Trident. *sess. 22. cap. 8.* quamvis altaria, vel Capellæ per Confratres sint extructæ, nisi in iis, quæ concernunt administrationem Confraternitatis. Barbof. *ad cap. 8. sess. 7. num. 4.* Naldus *verb. Episcopus, num. 20.* nisi ex consuetudine habuerit, ut etiam altaria, vel Capellas visitet. Bordon. *resolut. 7. num. 97.* Lezana *tom. 2. cap. 15. num. 27.* Sed Confraternitates proprias Ordinis, etiam si sæculares ad illas concurrant; ut Confraternitates Rosarij, Scapularis B. Mariæ de Monte Carmeli, Corrigiæ, &c. visitare non possunt, *ut num. 31. dicebamus.* § Sed si Confraternitatum, quas diximus visitare posse Episcopos, fuerit Religiosus Præfectus, hunc visitare non poterit Episcopus, ob privilegium Gregorij XIII, quod refert Garcia

cia tract. 8. diff. 3. dub. 2. punct. 3. num. 11. Et contra hoc jus privatum, live privilegium Regularium, nulla Ordinarij consuetudo in contrarium potest prevalere. Clement. *Quia contingit, de religios. domibus.* Et declaratum esse à sacra Congregat. Episcop. & Regular. negotiis preposita anno 1615. 17. Julij, & anno 1622. die 10. Julij, testatur Barbosa *de jure Ecclesiast. lib. 1. c. 14. n. 30. & in pastoral. lib. 3. allegat. 75. à num. 2.*

Sententia affirmans posse Episcopos visitare clausuram Monialium exemptarum.

37. Restat modo aliquas resolvete difficultates. Prima est: an possint Episcopi visitare clausuram Monialium exemptarum, ad illam conservandam, vel restituendam? In qua difficultate datur duplex sententia: prima affirmativa, quæ probatur primo ex Tridentino, cui consonat constitutio Pij V. *Circa pastoralis.* Et alia Gregorij XIII. *Deo sacris.* Dicit ergo Concilium *sess. 25. cap. 5. de Regular. Bonifacij Octavi Constitutionem, quæ incipit: Periculoso* (& habetur de statu Monachorum in 6.) *renovans sancta synodus, universis Episcopis sub obestatione divini judicij, & interminatione maledictionis aeternæ, præcipit, ut in omnibus Monasteriis, sibi subjectis, Ordinaria; in alijs vero Sedis Apostolicæ Auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est conservari maxime procurer, &c.* Ubi ponderant Authores hujus sententiæ, verba illa: *in alijs vero, &c.* in quo denotat Concilium, quod talis cura de jure ordinatio convenit Episcopis, in Monasterijs sibi subjectis: in alijs vero sibi non subjectis, sed exemptis; ut Sedis Apostolicæ Dele-

gatis. § Secundo ex diversis, & pluribus declarationibus Cardin. Congregat. Concilij, quas afferunt, & ponderant Authores statim citandi, quia ad Concilij mentem declarandam maximam auctoritatem habent. § Tertio ex Constitutione Gregorij XV. *Inscrutabilis* edita anno 1622. & est Bulla 18. hujus Pontificis in 4. tom. Bullarj, ex qua id manifestè colligitur, atque ita tenent Zerola in *praxi Episcop. al. in 2. edition. parte prima, verb. Moniales, ad 4. quæst.* Galetus in *Margarit. casuum conscientia verb. clausura, numero primo,* Gavantus in *manual. verb. Monial. claus. à n. 57.* Barbosa *de Officio, & potestate Episcopi, allegat. 102. à n. 7.* Lezana *tomo secundo, verb. Episcopus, numero decimo quarto.* Unde infert posse Episcopum visitare clausuram Monialium, etiam si alias visitata nunquam fuerit, toties quoties expedire judicaverit: nec ab ipsis Regularibus posse impediri: quominus ingredi queat earum Monasteria, & interrogare Moniales, de pertinentibus ad dictam clausuram.

38. Sed negativè respondendum est. Primo: qui in *cap. periculoso*, quod citat Concilium, manifestè talis cura circa clausuram Monialium exemptarum, quæ sunt Regularibus subjectæ, Prælati illarum conceditur: quod non fuit revocatum in Concilio Tridentino; sed potius innovatum, ut constat ex ejus verbis. Quare per illa *in alijs vero, &c.* intelliguntur alia Monasteria exempta, tamen Regularibus minimè subjecta, sed sub immediata jurisdictione Sedis Apostolicæ posita, ut ex dicto *cap. periculoso*

Minimè potest Episcopus, Monialium exemptarum clausuram visitare.

so manifestè constat, ubi dicitur: In Monasteriis Monialium sive Ordinario vere subjectis ordinariis; sive in iis, quæ ad Romanam spectant Ecclesiam, Sedis Apostolica auctoritate, &c. Quod etiam expressè dixit Pius V. in suo motu proprio, Circa pastoralis. Quare eodem modo intelligendum est Tridentinum, renovans caput illud Periculoso, ac intelligitur ipsum caput, quòd Concilium renovat, & confirmat: quia Constitutio renovans, aut interpretans, intelligi debet juxta illam, quam revocat, & interpretatur, ut multis probat Sanchez lib. 7. de matrim. disputat. 4. num. 21. Et eodem modo interpretari poterimus declarationes Cardinalium, quæ adducuntur à contrariâ parte. § Secundò probatur ex immemorabili consuetudine, maxime in Hispania adhuc post Concilium introducta, & observata (quæ est optima legum interpret.) In qua nunquam audivimus, nec vidimus oppositum practicari. Unde declarationes in contrarium adductæ, intelligi poterunt de locis, ubi non vigerit consuetudo in contrarium, per plures annos frequentata, videntibus, & non contradicentibus Ordinariis. Præterea dici poterat dictas declarationes suspensas, vel non receptas fuisse in Hispania, sicut de motu illo Gregorii XV. statim dicemus. Sic Miranda de sacris Monialibus, quest. 2. art. 14. num. 3. Llamas in method. curation. in appendic. quam ponit in tom. 7. num. 55. Pellizzar. tr. 10. cap. 51. sect. 1. num. 6. Bruno Cassing. tract. 2. cap. 3. propos. 4. Navar. comment. 4. de regul. num. 60.

Sanchez in decalog. lib. 6. cap. 15. num. 21. Bonacin. appendic. de clausur. quest. 1. punct. 6. & alii.

39. Ad illam Constitutionem Gregorii XV. dicimus non fuisse in Hispania receptam, sed pro Hispania suspensam fuisse, ut testatur Lezana loco citato, & tom. 1. part. 1. cap. 19. num. 35. Portel. tom. 2. part. 2. casu 13. Garcia tom. 1. difficult. 3. dub. 2. punct. 3. num. 16. Pro quo nota, quòd in dicta Constitutione, quatuor inter alia dicebantur. Primum, quòd non possent Regulares mittere pro confessario ordinario, vel extraordinario suarum monialium eum, qui non esset ab ordinario approbatus. Secundum: quòd procuratores, & ministri conventus monialium tenerentur rationem reddere Episcopis reddituum, & aliorum bonorum temporalium, & consumptionis eorum, & expensarum. Tertium, quòd Episcopus possit monere superiorem, ut auferat à Conventu Monialium confessorem, procuratorem, vel alium ministrum: & si Prelatus non faciat, possit Episcopus eos amovere. Quartum, ut possit assistere electionibus Abbatissarum, & Priorissarum, & in eis præsidere. Insuper ea, quæ pro contraria sententia referuntur in hujusmodi motu proprio continebantur. Cujus constitutionis plures Cardinalium declarationes de mandato Urbani VIII. anno 1623. prodierunt. Quarum aliquas refert Riccius in decisione Curie Neapolitanæ decis. 244 post num. 12. part. 4. & ex illo Barbosa, & Lezana locis citatis. Sed nec talis motus proprius, nec illius declara-

Constitutio  
Greg. XV. est  
pro regnis  
Hispaniæ  
suspensa.

Ggg

tio-

tionem in Hispania fuerunt recepta; sed ab Urbano VIII. pro Hispania suspensa: quia ex communi consensu religionum in unum congregatarum supplicatum est Apostolicæ Sedi, illi inconuenientia maxima emergentia ex ipsis exponentium. Ob idque iussa Urbani VIII. pro Regnis Hispaniæ fuisse suspensa, ut constat ex breui Nuntii Apostolici tunc temporis existentis, & postea Eminentissimi Cardinalis Sacchetti 21. Aprilis anno 1625.

Duplex  
modus,  
quo po-  
test pro-  
cedere  
difficul-  
tas expli-  
catur.

40. Secunda difficultas est, an possint Episcopi visitare testamenta, & illorum reddere rationem teneantur Regulares, quando Monasteria eorum, hæredes relinquuntur universales: An Religiosi exempti quando sunt testamentarii sive executores testamenti, teneantur reddere rationem Episcopis, diximus *supra tract. 15. cap. 7. num. 85*. Modo inquirimus de testamentis, in quibus relinquuntur hæredes: quod bifariam potest contingere. Primò, quando testator relinquit pro hærede Monasterium, absque aliquo onere; vel si onus aliquod relinquit, cui debeat satisfieri intra idem Monasterium: ut si tot Missas, tot anniversaria perpetua in tali Monasterio celebranda, pro onere relinquat. Potest quæri, an Episcopus possit hoc testamentum visitare, & inquirere, an dicta onera executioni mandentur? Secundò: quando hæres relinquatur Monasterium, cum onere extra illud aliquid exequendi, ut si tot legata secularibus relinquat solvenda, vel quotannis tot ducatos tali, vel tali tribuen-

dos? In utroque casu posse Episcopum visitare testamenta, videtur probari primò ex pluribus textibus, quos adducit Franciscus Carpius de executoribus, & commissariis testamentorum. In quibus jus Canonicum, & Civile tribuunt facultatem Ordinariis, ut cognoscant de ultimis voluntatibus, & testamentis: & hoc absolutè, non excludendo casum, quò hæredes sunt ipsi Regulares. § Secundò: quia in Tridentino *sessione 22. capite 8. de reformation.* tribuitur facultas Episcopis visitandi Hospitalia, Confraternitates, & omnia legata pia, sine eo, quòd distinguat, si sunt, vel non, hæredes Monasteria; & hoc cum clausula: *Non obstante quacumque immemorabili consuetudine, statuto, vel privilegio in contrarium.* Quæ rationes urgentiores sunt, quando Monasterium hæres relinquitur, cum onere aliquid extra exequendi. Quod sic tertio probari potest; quia licet bona Conventus exempti, exempta sint à jurisdictione, & visitatione Episcopi; nihilominus legata testamentorum, quæ sunt diversis personis Ecclesiasticis, aut secularibus, exempta non sunt; sed cadunt sub jurisdictione Episcopi: ergo dato, quòd hic non possit illa testamenta visitare, in quibus hæres relinquatur Monasterium, absque onere aliquid extra exequendi; bene tamen illa, in quibus hæres instituitur sub conditione solvendi aliquid extra Monasterium: aliter non possent creditores sibi debita acquirere, neque esset quomodo cogi posset

set Monasterium ad solvendum, si onera assignata solvere recusaret. Hæc certe probabilem hanc secundam partem relinquunt; sed neminem vidi pro illa.

Visitare non possunt Episcopi testamenta in quibus Regulares relinquuntur hæredes.

41. Sed negativè respondendum est in utroque casu. Primò propter diversa privilegia concessa regularibus, quæ referi Tambur. tom. 1. disp. 15. quest. 4. quæ licet circa hoc expressè non loquantur, nihilominus continent universalia, quæ omnia comprehendunt. Cæterùm aliis prætermisissis duo universalissima proponemus. Primum est Eugenii IV. concessum Monachis S. Benedicti, ubi inter alia dicit: *Jura, jurisdictiones, prædia, possessiones quaslibet, & bona quacumque, quæ in presenti sunt, & in futurum erunt aggregata, & unita Religioni perpetuo eximimus, & totaliter liberamus.* Quæ ultima verba, ut bene docet Tambur. disput. 15. quest. 4. nu. final. liberant Religionem à jurisdictione Episcopi, in omnibus; quæ expressè non fuerint in oppositum declarata, uti non est casus noster, cum non detur jus, aut Bulla, quæ expressè dicat posse Episcopum testamenta, in quibus Monasteria relinquuntur hæredes, visitare, aut curare, ut oneribus assignatis intra vel extra Monasterium satisfaciant. § Secundum est Sixti V. post Tridentinum concessum Clericis Regularibus Sacræ Congregationis de Somascha anno 1585. quod in 2. tom. Bullar. reperitur, & est in Ordine Bulla 4. ubi liberat: *Religionis bona tam mobilia, quàm immobilia, res tam sacras, & Religiosas,*

quam profanas ubique existentes ab omni jurisdictione, potestate, dominio, superioritate, subjectione, visitatione, correctione quorumcumque Ordinariorum, & aliorum judicum Ecclesiasticorum. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, & Conciliis generalibus, & Provincialibus editis, &c. Ex in hoc privilegio illa clausula non reperitur: *Quatenus non contrariantur Concilio Tridentino*: per quod, esto hæc resolutio esset contra Tridentinum, quod minime est, censeretur Tridentinum quoad hoc revocatum, ut latè probat, & eruditè Franciscus Maria Samuelius tom. 1. de elect. Canon. tract. 1. controvers. 11. numer. 9. & 10. ex Dominicana familia Doctissimus Magister. § Secundò probatur assertio ex decisione Rotæ, & sententia lata ab ipsa circa litem, quæ de hac materia exorta fuit in Diocesi de Huesca inter Patres Societatis, & Ordinarium, quam ponderat Hieronymus Garcia tom. 1. Politica Regular. tract. 8. difficult. 3. dub. 4. punct. 2. num. 8. quem solum vidimus hanc quæstionem excitasse, & huic nostræ assertioni adhæsisse.

42. Ad primum pro contraria sententia dicimus, quod textus in contrarium adducti solum probant, quod possint Episcopi de jure communi: sed contra hoc dantur privilegia recensita Regularium. § Ad secundum dicimus Concilium expressè loqui de Hospitalibus, Collegiis, &c. Laicorum, & sic illud dicere tantum respectu laicorum, ut notat Barbosa in remissionali ad dictum

locum Concilii. § Ad tertium dicimus, quod hoc ipso, quod hæres instituat Monasterium, omnia bona defuncti transeant in jus illius: unde etiam legata, quæ unum corpus cum aliis bonis faciunt, in dominium transeunt Monasterii, quamvis cum onere, hoc vel illud solvendis: id enim trahit secum hæres institutio; quæ diffinitur: *quod est successio in universum jus defuncti*. Cum ergo dicta legata sint inter Monasterii bona computata, & bona Monasterii, *quacumque sint*, sint exempta à jurisdictione, & visitatione Episcopi, ut dicunt privilegia supra relata; non poterunt circa illa Ordinarii se intromittere, nec super hoc regulares perturbare: qui si onera extra debita solvere recusent; ad hoc dantur Prælati Superiores intra Religionem; & extra Nuntius, & Papa, à quibus compelli possunt, ut solvant.

## §. VI.

*Qualiter in causis criminalibus dependant Religiosi exempti ab Ordinariis?*

Episcopi nullum actum jurisdictionis in Regularibus ex emptos valent exercere. 43. Circa quod certissime statuedum est, non posse Episcopos absolute, nisi in casibus in jure expressè illis concessis, procedere aliquo modo contra Religiosos exemptos formando contra eos processum, citando, examinando eorum mores, & vitam. Tum, ob eorum exemptionem, quæ præcipue in hoc elucere debet. Tum etiam, quia Ponti-

fices id in specie multoties Regularibus concessi: e: ut Clemens IV. in Bulla, quæ affertur in libro intitulo *Monumenta Ordinum*, in 1. edition. fol. 57. & in 2. fol. 141. concess. 345. & est 4. in *Ordine Bullar.* Cherubin, & Sixt. IV. in Bull. quæ dicitur *mare magnum*, & est 33. in Bullar. Rodriguez, & Cherubin. ubi sub gravissimis penis, & censuris ipso facto incurrendis, prohibent ne Ordinarii se intromittant in causis Religiosorum, neque eos citare posse, aut contra ipsos formare processum, aliumve actum jurisdictionis exercere, præter ea, quæ eis in jure conceduntur, permittunt, irritum, & inane reddendo, quidquid in oppositum facere attentaverint. Emanuel Rodriguez tom. 2. qu. 63. art. 3. Hieronym. Rodriguez resol. 63. num. 17. Sanchez *consil. tom. 2. lib. 6. c. 9. dub. 2. num. 25.* Garcia tr. 8. *difficult. 3. dub. 1. punct. 1. num. 2.* Lezan. tom. 2. *verb. causa judicialis, nu. 15.* & *verbo Episcopus, num. 8.* qui addit hoc procedere etiam in casu, quo id prætenderent facere: eod quod Prælati Regularis essent negligentes in subditorum punitione. Unde si Prælati Regularis sit negligens in exemptorum correctione, non devolvitur potestas corrigendi ad Episcopum, qui in illos nullam habet jurisdictionem; sed ad Prælatum, qui Superior est illo Prælati Regulari, uti ex *Glof. in c. gravi, de Officio Ordinarii, versu corrigere, & Panormit. ibi num. 6.* docet Sanch. num. 26. & Henriquez lib. 7. *de Indulgent. cap. 25. num. 4.* qui num. 5. & Sanchez num. 27. bene addunt, quod si Ordinarius tenet procedere con-

contra exemptos in quavis causa habili, vel inhabili, processus, & sententia inde sequuta sunt ipso jure irrita, & nullum parant præjudicium, nullumque effectum operantur. Verum tamen est, quod juxta *cap. quanto de Officio Ordinarii, & Clement. unic. de testament.* possunt negligentiam Superiorum supplere, apostatas, & fugitivos comprehendendo, ut ad Superiores remittant, & si ab eis longè distent, monendo illos, ut redeant ad Religionem, & suis se Prælaris præsentent, & si noluerint parere eos incarcerando, & pœnis condignis, in jure pro apostatis assignatis, puniendo. *Mirand. in manual. tom. 1. quest. 51. art. 3. Barbof. in Pastoral. part. 3. alleg. 105. à num. 14. & de jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 11. n. 61. Lezan. tom. 1. c. 16. n. 17. Garcia n. 3.*

Obje- 44. Sed objicies, quod Innocen-  
ctio cõ- tius IV. in Concilio Lugdunensi, ut  
tra dicta habetur in *c. volentes, de privilegiis in 6*  
ex Con- statui, quod quacumque ratione exem-  
cilio pti gaudeant libertate, nihilominus ra-  
Lugdu- tione delicti, sive contractus, aut rei, de  
nenti, & qua contra ipsos agitur, licet possunt  
Trident. coram Ordinariis conveniri, & illi quo-  
ad hoc suam in ipsos jurisdictionem, pro-  
ut jus exigat, exercere: ergo ratione de-  
licti, aut contractus, aut rei de qua  
contra ipsum agitur, potest Religio-  
sus exemptus coram Ordinario loco-  
rum conveniri, & hic contra illum  
suam jurisdictionem exercere, § Nec  
valet dicere huic decreto derogatum  
esse per plura, & diversa privilegia  
concessa post illud Regularibus, qui-  
bus conceditur jus, ut nec ratione  
contractus, nec ratione delicti, aut

rei de qua agitur, possint ab Ordina-  
riis molestari. Nam licet hoc ita esset,  
tamen Concilium Tridentinum *sess.*  
*7. cap. 14.* dictam Constitutionem  
innovavit, ait enim: *In exemptorum*  
*causis Constitutio Innocentii IV. qua in-*  
*cipit; Volentes, in Generali Concilio Lug-*  
*dunensi edita, servetur: quam Sancta*  
*Synodus innovandam esse censuit, & in-*  
*novat, revocat quoad hoc omnia pri-*  
*vilegia per clausulam non obstanti-*  
*bus, &c.*

45. Respondetur, nec Concilium  
Lugdunense, neque Tridentinum, a-  
liquod contra Regulares, saltem intra  
claustra degentes decernere (quid  
verò de illis, qui vel extra claustra vi-  
vunt, vel viventes intra, extra delin-  
quunt, sentiendum sit, dicemus po-  
stea.) Nam in primis idem Innocen-  
tius IV. in Bulla, quæ incipit: *Cum olim*  
*duxerimus, data Perusii 15. Kalendas*  
*Octobris, Pontificatus sui anno 10.*  
interrogationi Fratrum Minorum,  
*An in decreto à sua sanctitate edito, ipsi*  
*comprehenderentur? Respondit: mini-*  
*me fore comprehensos, nec tale decretum*  
*aliquod præjudicium immunitatibus eo-*  
*rum, & exemptionibus inferre posse; sed*  
*eam in sua vi, & robore reliquisse.* Quod  
etiam Ordini Cisterciensium con-  
cessit in Bulla, quæ incipit: *Cum nuper:*  
& Pius V. in Bulla: *Esse mendicantium,*  
quæ est Mare magnum Prædicato-  
rum, confirmata in specie ab Urba-  
no VIII. in Bulla, quæ incipit: *In ple-*  
*nitudine.* Igitur inter alia inquit Pius  
V. *Nos vobis, ut occasione Constitutionis*  
*hujusmodi (loquitur de illa Innocen-*  
*tii IV. de quâ modo agimus) nullum*  
*libertatibus, & immunitatibus, privilegio*

Solvitur  
præce-  
dens ob-  
jectio.

& Indulgentiis à Sede Apostolica Vobis & Ordini vestro concessis, vel imposte-  
rum concedendis præjudicium generetur,  
Autoritate presentium indulgemus,  
decernentes vos, seu personas vestri Or-  
dinis in prædictis casibus Ordinariis ipsis  
minimè subjacere. Insuper Martinus  
V. per Bullam emanatam in favo-  
rem Prædicatorum, quæ habetur in  
Compend. priv. mendic. verb. exemptio,  
& idem Martinus V. in alia Bulla  
pro Minoribus, quæ incipit: *Inter ca-*  
*teros*, sic ait: Ita quòd nec ratione de-  
licti commisi, vel inini contractus, aut  
rei sita. posita, vel existentis extra loca  
vestra exempta, positis coram eis (non  
obstante Constitutione felicis record.  
Innocentii Papa IV. prædecessoris nostri  
edita in contrarium) impeti, molestari,  
seu quomodolibet conveniri. § Triden-  
tinum verò loquitur de his, qui ex-  
tra claustra degunt, & de casu quò  
Prælati super delictis subditorum  
admoniti, negligentes sunt in eorum  
punitioe, ut in dicta Bulla Pii V.  
*Est mendicantium*, §. 26. expressè di-  
citur. Maneat ergo hujusmodi cor-  
rectiones, & delictorum cognitio-  
nem, non spectare ad Episcopum,  
sed ad Prælatum Regularem: ut con-  
stat ex cap. *Grave gerimus*, de Officio  
Ordinarii. Ubi Pontifex Episcopum  
corrigit, eò quòd quasdam senten-  
tias, etiam in vi suarum litterarum,  
adversus quosdam Regulares tulerat,  
etiam si eorumdem Abbas paratus  
esset illos corrigere. Et Paulus V.  
Bulla concessa Congregationi Fa-  
liensium, ut habetur in compendio  
privilegiorum, verbo *exemptio*, §. 3.  
sic dicit: Quod si Archiepiscopi,

Episcopi, Ordinarii, Vicarii, Ju-  
dices, Officiales, &c. etiam ra-  
tione delicti, vel contractus, vel de  
re, de qua ageretur prædictas perso-  
nas exemptas, videlicet personas  
utriusque sexus illius Congregatio-  
nis in aliquo perturbare præsumpe-  
rint, ipso facto excommunicati  
sint; nec possint absolvi nisi à Ro-  
mano Pontifice, & in articulo mor-  
tis; & quidquid attentatum fuerit in  
contrarium, irritum, & inane decla-  
rat.

46. Sed licet hæc ita sint, in duo-  
bus casibus datur per jus Tridentini  
facultas Ordinariis procedendi con-  
tra Regulares exemptos. Primò con-  
tra eos, qui extra claustra degentes  
delinquant. Secundò contra eos, qui  
degentes intra claustra, extra illa  
cum scandalo populi notorio delin-  
quant. Primus habetur sessione 6.  
de reformat. cap. 3. ubi dicitur: nemo  
Regularis, extra Monasterium de-  
gens, etiam sui Ordinis privilegio-  
rum prætextu, ritus censeatur, quo-  
minus si deliquerit, ab Ordinatio-  
loci, tanquam ad hoc à Sede Apo-  
stolica delegato, secundum Canoni-  
cas sanctiones visitari, puniri, &  
corrigi valeat. § Secundus habetur  
sessione 25. capite 14. per hæc verba:  
*Regularis non subditus Episcopo, qui in-*  
*tra claustra Monasterii degit, & extra*  
*ea ita notorie deliquerit, ut populo scan-*  
*dalo sit, Episcopo instante, à suo Super-*  
*iore, intra tempus ab Episcopo præfigen-*  
*dum severe puniatur, ac de punitioe*  
*Superior ille Episcopum certiore m fa-*  
*ciat; sin minus à suo Superiore officio*  
*privetur, & delinquens ab Episcopo*  
pu-

Duplici  
causa  
propo-  
nitur ex  
Triden-  
tino, in  
quorum  
unoquo-  
que  
que Re-  
gulares  
exempti  
Episco-  
pis sub-  
jiciuntur.

*puniri possit.* §. Verumtamen, quia aliqui Superiores admoniti de delictis subditorum intra Dioccesim commissis, eos extra Episcoporum Dioccesim ex industria impunitos transmittant, Clemens VIII. in Motu proprio anno 1596. edito incipiente: *Suscepti oneris*, qui est Bulla 39. inter Bullas hujus Pontificis, præcipit omnibus, & singulis Superioribus cujuscumque Ordinis in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione indignationis Apostolicæ, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, ut prædictum decretum, in omnibus, & per omnia exequantur; Porro si subditum impunitum ad alia suorum Ordinum loca extra Episcopi Dioccesim Superior transmiserit, decernit, ut hic instante Episcopo intra terminum ab eo præfigendam, & sub eisdem pœnis, nec non privationis activæ vocis, & passivæ ipso facto incurrendis; quarum dispensationem Sedi Apostolicæ reservavit, ipsum delinquentem à loco in quem transmissus fuit, revocare, & in quo deliquit constituere, seu sistere teneatur. Quod si hoc facere prætermiserit, statuit ut Ordinarius loci, ad quem delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci, unde transivit, similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus, tanquam Apostolicæ Sedis delegatus prædictum Concilii decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem severe animadvertere possit, & de-

beat. § Sed hoc decretum Clementis VIII. solum procedit, quando Superior Religiosi delinquentis notorie, in alium locum eum transmittit, ut impunitus remaneat: secus verò si transmittat illum vel in pœnam delicti, vel ut ab occasionibus retrahat, vel ut decentius, & commodius eum punire valeat. Peyrin. tom. 1. privileg. in Constitut. 2. Sixti IV. §. 11. numero 69. Lezana tom. 1. cap. 16. numero 17. Rodriguez tome 2. questione 2. artic. 6.

47. Sed circa præfata Concilii decreta notandum est primò circa primum non dici degere extra claustra Religiosum, qui causa Prædicationis, Confessionis, aut alterius negotii ad tempus, & non permanenter extra Monasterium moratur: quia Concilium non dicit *existens*, sed *degens*. Degere autem denotat existentiam permanentem, non brevem, & transeuntem. Hinc inferunt Peyrin. §. 17. num. 12. Lezana num. 10. in fin. quod comprehendantur quidem sub primo decreto, Regulares illi, qui ad longum tempus degunt extra Monasterium, habentque extra illud quasi domicilium ex aliquo particulari indulto, & non subjiciuntur communi correctioni, & visitationi Prælatorum sui Ordinis, sed vacantes studiis, vel aliis negotiis, etiam si domicilium ob id per multum temporis extra habeant, non subjiciuntur correctioni Ordinatorum, si degunt in aliquo Conventu alterius Ordinis: quia Tridentinum solum dicit: *extra Monasterium degentes*. Quæ dispositio cū

fit odiosa, utpote exemptioni Regularium adversa, amplianda non est: sed restringenda ad eos, qui extra Monasterium quodcumque degunt, excludendo eos, qui degunt intra Monasterium, tametsi alterius Ordinis proprium. Bordon. *resolut.* 7. n. 58 Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 6. *sect.* 1. num. 9. Qui verò in grangiis, vel in aliis partibus dependentibus à Monasterio pro servitio Religionis existunt, non subsunt correctioni Episcoporum, eò quòd grangiæ sunt quasi partes Monasterii, & membra ab illo dependentia: fruunturque proinde privilegiis Monasterii, *cap. recolentes*, §. *Monasterium, de statu monachorum*, & sic etiam qui in grangiis, in quibus resident, delinquant, in ra Monasterium delinquere censentur. Tambur. *disp.* 1. §. *quæst.* 7. num. 9. Sanchez *confil.* tom. 2. lib. 8. *cap.* 9. *dub.* 2. num. 4. Barbof. *ad cap.* 3. *sess.* 6. Trident. nu. 5. Bellarmin. *in annotat.* ad idem Concil. *sess.* 7. *cap.* 14. ubi declarationem Cardinalium circa hoc adducit.

Non extenditur  
jurisdictio  
Episcopi  
ad Regulares,  
de licentia  
Superiorum,  
extra Monasteria  
degentes.

48. Sed difficultas est inter Auctores, an jurisdictio Episcopi ad visitandum, vel puniendum Regulares, qui extra monasterium degunt, extendatur ad illos, qui etiam per multum tempus de licentia Superiorum suorum, extra claustra vivunt: ut si ad erectionem novi monasterii, duo aut tres Fratres absque observantia Regulari, pro directione operis ibi existunt, sine eo, quod sub aliquo Superiore vivant conventualiter? Plures sunt, qui hoc asserunt ob diversas declarationes sacre Congregationis, & decisiones Rotæ, quas adducunt: Sic

Tambur. *loco citato*, num. 7. Barbof. *in Pastor. allegat.* 105. num. 16. Navar. *in lucern. Regular. verbo delinquens*, num. 10. Garcia *tract.* 8. *difficult.* 3. *dub.* 1. *punct.* 1. num. 4. *in fine*. Lezana *verb. Episcopus*, num. 24. retractans, quòd loco pro nobis adducendo, tenuerat. § Sed negativè respondendum est: nam monachus, qui delicta sui Superioris degit extra monasterium, intra illud censetur habitare, *cap. ex rescripto, de jurejurando*. Tum etiam: quia æquum non est, ut qui à suo Superiore vocari, visitari, & puniri potest, alteri extraordinario judici subdatur. Lezana *tom.* 1. c. 11. num. 8. Sylvester *verb. Relig.* 3. *quæst.* 19. *diç.* 2. Sanchez *dub.* 2. num. 4. Zepedes *de exempt.* *dub.* 241. num. 3. Pellizzar. num. 9. Peyrin. §. 11. num. 22. Bordó. *resolut.* 7. num. 56. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgent.* *cap.* 24. num. 2. *in comment. littera O, & cap.* 25. num. 11. & hinc inferunt Sanchez, & Henriquez, quòd, qui de licentia Superiorum inservit alicui Ecclesiæ, non potest visitari, aut puniri ab Episcopo. Quare in prædicto decreto Concilii comprehenduntur, qui sine debita licentia extra monasterium degunt: vel certè illi, qui etiam cum licentia ita procul à claustris distant, ut nec visitari, nec nisi post longissimum tempus à suis Superioribus possint puniri; de quibus etiam intelligendas esse declarationes nostræ responsioni contrarias aliqui ex nostris dicunt.

49. Circa secundum decretum Concilii notandum est secundò: quòd si delinquens fuerit Prælati, non potest Episcopus ex vi decreti Concilii

Regula-  
res ex-  
emptos.  
Episco-  
pis in ali-  
quo casu  
subji-  
ciens.

Concilii instare apud Provinciale pro illius correctione; neque si Provincialis omittat eam, poterit Ordinarius se in hoc intromittere: quia facultas procedendi contra Regulares delinquentes cum sit odiosa, non debet nisi ad casus in jure expressos extendi. In quo cum solum detur jurisdictio Episcopis quoad presentem casum, in Religiosos, non debet extendi ad Prælatos: quia nomine Religiosi in odiosis, non venit Prælati, sicut nec nomine monachi Abbas, teste Naldo, *verb. Abbas, numer. 1. Diana 3. parte, tractatu 2. resolut. 48. versu nota tertio*. Quare sic declarasse sacram Congregationem refert Alphonsus de Leon *recollet. 2. de censur. numer. 496. & tenent Zespedes dub. 240. numer. 1. Pellizzar. numer. 12. versu quodd si. § Tertiò notandum est, quòd ut Episcopus possit ex vi dicti decreti procedere contra Regularem delinquentem, debet delictum esse notorium rigorosè notorietate facti; ita scilicet, ut sit ad eò evidens, quod nulla tergiversatione cæleri possit, *cap. cum olim, cap. final. de verborum significatione*: quia Concilium dicit: *si notoriè deliquerit*, & cum simus in materia odiosa, tollente exemptionem Regularium, non est amplianda; sed restringenda ad notorium propriè dictum Lezana *como 1. capite 16. numer. 27. Bordon. resolut. 7. numer. 12. Pellizzar. tract. 8. cap. 6. sect. 1. uum. 12. § Porro*. Quamvis sit probabile non requiri, quod delictum sit verè, & rigorosè notorium; sed sufficere ita esse notorium notorietate facti, ut populo scandalo sit, quia*

Concilium dicit: *Si ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit*. Zespedes *dub. 237. numer. 9. § ob id si Religiosus in sua propria Ecclesia, notoriè, cum scandalo delinquat, potest puniri ab Episcopo in defectum Prælati, nisi clausa fuerit Ecclesia, & absque secularibus, qui scandalizari possint: & ita non semel decisum fuisse à Sacra Congregatione testatur Peyrin. tom. 2. de privileg. cap. 2. numer. 31. & tenent Bordon. numer. 12. Pellizz. numer. 9 §. quod autem, Sperellus decis. 38. numer. 15. Sed certe oppositum est probabilius: quia Concilium solum subicit Regularem degentem intra monasterium, & extra illud delinquentem, Episcopo: sed cum Ecclesia sit pars monasterii, cum illi est unita, intra monasterium delinquere censetur, qui intra suam Ecclesiam delinquit. Et ita tenet Barbof. *de jure Eccles. lib. 1. cap. 11. n. 63. ubi plures declarationes Cardinalium adducit: Rodriguez in additione ad Summ. to. 3. cap. 38. numer. 3. Portel. verb. Relig. n. 9. Garcia n. 4. & declarationes in oppositum adductæ loquuntur de Ecclesia subiecta Episcopo, non verò unita monasterio. § Quarto notandū est, non sufficere, quod semel Episcopus moneat Prælatum delinquentis, terminum ei præfigendo, ut si negligat, procedat ad punitionem Religiosi; sed bis, & ter id facere debet: quia Concilium dicit: *Episcopo instante*, & verbum *instare* importat speciem quamdam importunitatis, teste Baldo *in Leos, §. Apostolos, numer. Codex, de appellationibus*, & quia unica interpellatio non sufficit, ut dica-**

H h h tur

tur stare per iudicem, quominus causam expediat, *cap. 1. de supplend. neglig. Pralat. & tene: Joan. Antonius Navarr. summ. Bullar. super Bull. Clementis VIII. Zepedes dub. 237. Pellizz. n. 12. §. ut verò.*


Episcopus non sit comprehendere Religiosum extra monasterium notoriè delinquentem, & in carceribus detinere donec formet processum contra illum, ut simul cum processu eum ad Superiorem remittat, ut secundum processum illum puniat? § Respondetur, quòd quàmvis attinet ad processum, licet possit Ordinarius statim capere summariam informationem delicti, eamque mittere ad Prælatum delinquentis, ut testes examinet, & iudicè procedat; ipse tamen nequit processum iudicum formare, juxta decisionem Congregationis, quam refert Bellarminus *ad Cap. 14. sess. 25. Concilii*, & motum proprium Pii V. multoties citatum: *Esti mendicantiù.* Verum est teneri in tali casu Superiorem remittere ad Ordinarium acta, & processum à se factum, vel illi dare plenam notitiam punitionis, ut constet ei de executione factâ pro qua institit. Sic decisum esse 14. Decembri, anno 1630. asserit Barbofa *de jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 42. nu. 117. Tambur. tom. 3. disp. 5. q. 11. n. 64.* sed non posse processum formare, & si formaverit, esse nullum, & irritum; propter eosdem motus proprios Sixti IV. Clementis VIII. & Pii V. tenent idem Barbofa. Tamburin. & Lezana *tom. 1. cap. 16. num. 26. Bordon. resolut. 7. n. 13. Bruao tract. 2. cap. 4.*

*prop. 2. Garcia dub. 1. punct. 1. n. 7. 6 Unde non posset Prælatus Regularis per processum factum ab Episcopo subditum punire, sed novum ad hoc formare teneretur: quia processus factus à iudice non competente, est nullus, & reus puniri non potest per processum irritum, vel absque processu valido: quamvis validum esse talem processum, etiam illicitè factum non improbabiler dicant Peyrin. num. 65. Portel. in respons. casuum moral. part. 1. casu 19. Naldus verb. Episcopus, num. 28. & tunc posset Prælatus Regularis, cum solo processu factò ab Ordinario punire subditum: quia bene potest unus iudex cum processu factò per alium punire delinquentem: ut quando iudex Ecclesiasticus clericum degradatum tradit puniendum brachio sæculari. Sic citati, & Bordon, resolut. 7. num. 14. ubi probat, quòd etiam si processus nullus sit, potest Prælatus per illum procedere ad punitionem, sine eo, quod novum formare teneatur: maxime de consensu rei: Quia non refert undecumque crimina clauerint, & puniantur, cap. ecce crimen, 24. q. 3.*

§ 1. Potest etiam Episcopus, si sit Non periculum fugæ, assumpta informatione debita super notorietate delicti, Regularem delinquentem comprehendere, & detinere, si delictum rem ex- sit grave, & scandalosum, ad effectum remittendi eum ad Superiorem, & hoc intra 25. horas, juxta *cap. rare, cum non ab homine, de iudiciis.* Sicut fatentur omnes de clerico, qui in hoc casu potest capi à iudice sæculari,

ri, ut eum remittat intra 20. horas ad Superiorem Ecclesiasticum, per l. capite. ff. ad legem Juliam, de Adulteris. Sed hoc quando (ut diximus) est periculum fugæ, & delictum est ex gravibus, & scandalosis, ut in simili tradit Concilium Tridentinum sess. 2. §. de Regularibus, cap. 6. ibi: *Et in atrocioribus delictis depositionem, vel degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium elidatur, & ideo opus sit personali detentione, &c.* Quod in præfenti tenent Pellizzar. numer. 11. Barbol. de officio, & potestate Episcop. allegat. 105. numer. 64. Diana 3. parte. tractatu 2. resolut. 132. Zespedes dub. 238. numer. 2. Portel, casu 19. Peyrin. tom. 1. Constitut. 2. Sixti IV. §. 11. numer. 62. & 63. Sanchez tom. 2. consil. cap. 9. dub. 2. numer. 31. Lezana tom. 1. cap. 16. numer. 26. & tom. 3. verbo delinquens Regularis, numer. 2. §. Sed talis detentio, ut diximus, solum potest fieri ad effectum, ut impediatur fuga, & reus sine mora ad Regularem Prælatum remittatur, non autem intentari per modum pœnæ, supplicii, aut vexationis; & si de mandato Episcopi in carcere vexetur, incurret Episcopus in Canonis excommunicationem; nam in quadam declaratione Cardinalium, quam adducit Bellarminus ad caput 14. sessione 25. Concilii, sic dicitur: *Episcopus non potest Regularem delinquentem incarcerare; sed solum instare apud Superiorem pro pœna.* §. In delictis verò, quæ gravia non sunt, neque scandalosa, etiam non potest Episcopus Regularem delinquentem incarcerare; sed debet illi sufficere, quòd Religio-

sus promittat, vel fidejussorem de pro se spondentem, quod ad Superiorem ibit, & illi præsentabitur; si vero cum hoc minimè contentus, eum in carcerem tradat, aut violentè detinere, incurret excommunicationem Canonis; quemadmodum illam incurret excedendo in captura subditi clerici, ut bene Glossa cap. si clericos. verb. excedat de sentent. excommunic. in 6. sic citati.



## PUNCTUM II.

De privilegio Regularium exemptionis à solutione decimarum.

§ 2. **A**Ntequam privilegium hoc explicemus, quod plurimas lites inter Regulares, & Episcopos, necnon Regulares & Parochos excitavit; prius breviter aliqua circa obligationem decimas solvendi attingemus: ut maneat obiter quintum Ecclesiæ præceptum explicatum. Quare hoc punctum triplici §. dividemus. In primo obligationem solutionis decimarum à fidelibus præstandæ proponemus. In secundo, quòd ex jure communi privilegium comperat regularibus. In tertio, de specialibus extra corpus juris privilegiis repertis, agemus.

## §. I.

*Quotuplex sit decima, quo jure debeatur, ex quibus rebus, quibus, in quo loco, & à quibus sit solvenda?*

Decima prædialis, personalis, & mixta explicatur.

**D**ecima, illa pars fructuum prædialis, quæ ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ à fidelibus solvenda est. Quæ decima dicitur, quia decima pars ex fructibus, vel industriis solvenda. Communiter decima dividitur trifariam. Nam prima dicitur *prædialis*, illa scilicet, quæ ex fructibus, vel proventibus prædiorum, agrorum, montium, arborum, piscinarum, molendinorum, &c. accipitur. Alia est *personalis*, quæ accipitur ex fructibus, vel proventibus, ex industria personæ ortis, ut ex negotiatione, mercatura, piscatione, venatione, arte, scientia, bello, &c. Tertia est *mixta* ex prædiali, & personali, quæ ex fructibus partim ex industria, partim ex prædiis dimanat: ut ex fœtura animalium, & ex eorum proventibus; ut ex lana, lacte, caseo, butyro, &c. quia tales fructus tam ex pascuis, quam ex animalibus, interveniente hominum industria, in eorum sustentatione, & conservatione proficiuntur. *Lezana tom. 3. verb. decima, n. 1. Lessius lib. 2. cap. 39. dub. 3. num. 12. Palaus tom. 2. tract. 10. disputat. unic. punct. 1. n. 2. Tambur. tom. 1. disp. 15. q. 16. n. 1.* Quare nomine decimæ in præsentem est omnium horum bono-

rum licitè quæstorum decima pars Deo data, sive ipsius ministris ex divina institutione debita.

§ 3. Hujusmodi ergo decimæ sive personales, sive prædiales, sive mixtæ; partim ex jure divino, partim ex jure humano positivo sunt debite ministris Ecclesiæ pro illorum sustentatione, ut inquit D. Thomas 2. 2. *quest. 87. art. 1. in corp.* Est quidem ex jure divino naturali debitum, ut illis congruam sustentationem impertiamur, qui in spiritualibus nobis inserviunt: jus enim naturæ dicat, quod sicut Ecclesiæ ministri populo spiritualia præbent: sic populus illis pro sustentatione corporali necessaria minister, 1. *ad Corinthios 9. Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus.* Est partim ex jure Ecclesiastico, nimirum designatio illius quotæ, quod sit decima pars, non octava, non alia; hoc enim non est de jure divino in nova lege Christi: licet namque ex jure divino in veteri lege solvenda esset decima Levitic. 27. Malachiæ 3. *Inferre omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea.* Hoc tamen cum esset præceptum judiciale, ut inquit D. Thom. 1. 2. *q. 104. art. 3.* adveniente Christo Domino, seu post promulgationem legis Christi, quoad obligationem cessavit: quamvis ad imitationem eorum, quæ tunc a deo rationabiliter præcepta erant, aliqua nunc in Ecclesia præcipiuntur. *Judicialia verò* (inquit D. Thom. 2. 2. *quest. 87. art. 1. in corp.*) *& si non obligent tempore gratiæ, tamen possunt ob-*

observari absque peccato, & ad eorum observantiam aliqui obligantur, si statuatur auctoritate illorum, quorum est condere legem: hoc modo Ecclesia decimas solvendas precipit, Toto titulo de decimis, & in decret. causa 16. quæst. 1. & in Tridentin. sessione 25. cap. 12. & aliis juribus. Et rationem etiam optimam tradit D. Thomas, cur talis quantitas sit ab Ecclesia assignata pro sustentatione ministrorum, sic: Ita etiam determinatio decima partis solvenda, est auctoritate Ecclesia tempore nova legis instituta secundum quamdam humanitatem; ut scilicet non minus populus nova legis ministris novi Testamenti exhiberet, quam populus veteris legis ministris veteris testamenti exhibebat. Et sic decimarum solutionem quoad designationem talis quantitatis solum esse ex jure positivo Ecclesiastico docent Sotus libro 9. de justitia, questione 4. articulo 1. Covarr. libro 1. variar. capite 17. in princip. Suarez de Relig. tractatu 2. libro 1. capite 10. numero 3. Bonac. de Quinto Eccles. precept. disputatione unica. puncto 1. numero 3. Fagundes de 5. Eccles. precept. libro 1. capite 1. numero 3. Tambur. Lezana, Palaus, Lessius locis citatis.

54. Ex quo sequitur primò Pontificem ex sua absoluta potestate, posse, quem voluerit ab obligatione solvendi decimas eximere, relicta congrua pro ministris sustentatione; quia in hoc juri divino non derogat, quod tantum est debita ministrorum sustentatio: sed solum juri Ecclesiastico, quod optime ex justa causa abrogare potest, cum tota ejus vis, ab il-

lius voluntate dependeat. Barbosa de jure Ecclesiast. lib. 3. cap. 26. §. 3. numer. 12. & 13. Hieronym. in Politic. regul. tract. 8. difficult. 3. dub. 3. punct. 4. numer. 4. Trullench lib. 3. in decalog. cap. 3. dub. 11. numer. 5. Azor. lib. 7. cap. 37. quæst. 6. §. His positus, & omnes excepta Glossa in cap. decimas 16. quæst. 1. quæ ferè ab omnibus rejicitur. Unde immerito nonnulli parochi parum litterati obmurmurant, quòd Pontifex talem exemptionem Regularibus concesserit: sed deberent attendere, quòd si decimæ solvi debent ministris Ecclesie pro labore quem impendunt in administratione spiritualium, & Religiosi etiam hoc munus exercent, rectè operati sunt Pontifices illas remittendo Religiosis, ut ait Rebuffus tractatu de decim. questione 1. numero 103. & Tambur. tomo 1. disputatione 15. questione 18. numero 30. Eo vel maxime, quia ut rectè docent Suarius tomo 1. de Relig. tractatu 2. libro 1. capite 14. numer. 13. N. Lezana tom. 3. verb. decima, num. 5. per hoc privilegium non immutatur generalis ratio, & quasi adæquatus finis, & per se intentus in decimis, quæ est Divinus cultus, & sustentatio ministrorum Dei, ac pauperum; sed immutatur particulare jus applicandi hanc partem decimarum huic Ecclesie, vel illi; his personis, vel illis. § Alius autem præter Summum Pontificem nec dispensare in solutione decimarum, nec aliquem ab hac obligatione eximere, aut alteri, quam ei, cui de jure debentur applicare potest: quia hoc ex jure communi, & Pontificio habetur, in quo

Prælati inferiores dispensare non valent. Fagundez *capite 4. numero 6. in fine.* Suarez *numero 8.* Palaus *sup. num. 2.* Unde quamvis in Concilio Tridentino *sess. 21. capite 5. 6. & 7.* concedatur Episcopis, ut Sedis Apostolicæ delegatis posse decimas uni debitas, alteri loco applicare, unire beneficia, vel unita dissolvere pro numerositate populi, & novos clericos assignare, quibus decimæ dentur proportionatè ad suum ministerium; hæc tamen non est relaxatio juris, sed debita decimarum administratio: & hanc non jure ordinario, sed ut Sedis Apostolicæ delegati facere possunt Episcopi.

Consuetudine, & præscriptione, quomodo possunt aliqui eximi à decimis solvendis.

§ 5. Sequitur secundò posse aliquem, vel aliquos consuetudine eximi à solutione decimarum, dummodo Ecclesiæ ministris congrua sustentatio relinquatur, quæ ex jure divino debetur, contra quod nulla potest prævalere consuetudo. Ratio est, quia solutio decimarum supposita congruâ sustentatione ministri præstanda est ex jure Ecclesiastico, quod consuetudine abrogari potest, ut diximus *som. 3. tract. 11. de legib. cap. 6. num. 3.* ad quam consuetudinem inducendam huic legi derogantem sufficit quadraginta annorum absque interruptione continuatio, etiam si mala fide, & absque titulo probabili sit introducta. Nam licet ad præscriptionem dominium transferentem, titulus & bona fides requiratur; non tamen ad consuetudinem legem abrogantem: etiam si primi illius introductores peccaverint. Ita docent excitato Covarr. *lib. 1. variar. cap. 17. num.*

8. §. 10. Lessius *lib. 1. cap. 17. num. 16.* Palaus *tom. 2. tract. 10. disputat. unic. punct. 4. num. 6.* § Eriam præscriptio potest aliquem à solutione decimarum eximere, dummodo cum probabili titulo, & bona fide per quadraginta annos possideat jus non solvendi, juxta à nobis dicta *tract. 12. cap. 2. num. 9.* quia per præscriptionem, legis tempore diffinito, transfertur jus, & dominium ab uno in alium, *leg. nunc. Cod. de usucapion.* Ad præscriptionem autem absque titulo, requiritur tempus hominum memoriam excedens, *cap. audistis, de prescription. cap. 3. de consuetud. in 6.* quia semper jus tali præscriptioni resistit, *cap. 1. de prescription.* & sic semper præsumitur mala fides, nisi tempus transierit immemorabile, quod ubi Antecessores in possessione rei exegerint, non potest præsumi eos absque aliquo justo titulo rem possedisse: Covarr. *nu. 8. & 10.* Lessius *dub. 5. num. 26.* Tambur. *de jure Abbatum, tomo primo, disputatione 15. quest. 18. nu. 56.* Suarez *cap. 13. numero primo, Guierrez Canon quest. libro secundo, cap. 21. num. 65.* Palaus *part. 5. numero primo.* § Unde fit consuetudinem præcipuè locum habere circa decimarum circumstantias: nimirum ut solvantur ex his rebus, non ex illis, hac mensura, hoc tempore, hoc loco, huic Ecclesiæ, non illi. Si enim consuetudo legem decimarum potest abrogare manente congrua ministrorum sustentatione, multo magis circa dictas circumstantias mutandas vel alterandas poterit vim habere. D. Thomas 2. 2. *questione 87. articulo 2.*  
Ad

ad 3. Suarez cap. 12. num. 15. Palau  
num. 4. § Potest etiam per composi-  
tionem, transactionem, vel commu-  
tationem, obligatio solvendi decimas  
suspendi, dummodo Authoritate Pö-  
tificis id fiat, si per multum tempus  
facienda est. Non tamen potest talis  
compositio fieri inter Laicos, & Cle-  
ricos de futuris decimis in perpetuū,  
vel ad longum tempus: quia esset  
quasi quædam alienatio bonorum  
Ecclesiæ. Sed sufficit autoritas Epi-  
scopi, quando compositio fit inter  
unam & aliam Ecclesiam *ex cap. Ex  
multiplici, de decimis, cap. Veniens, de  
transactionibus*, & ibi Panormitan.  
Fagundez in 5. Eccles. præcepto, libro  
tertio, capite secundo, numero 18. Re-  
buff. in tractatu de decimis, parte se-  
cunda, numero 16. Palau numero 5.  
at compositio de decimis jam debi-  
tis potest fieri à quolibet particulari,  
qui sicut eas remittere potest libera-  
liter, & ut solutas habere, ita etiam  
de iis inire compositionem. Bona-  
cin. *disputatione ultima, de 5. Ecclesia  
præcepto questione unica, puncto quinto,*  
num. 3.

Ex om-  
nibus,  
quæ lici-  
tè homo  
potest  
acquire-  
re, deci-  
mæ de-  
bentur.

§ 6. Sed inquires primò ex quibus  
rebus personales decimæ debentur?  
§ Responderetur, quod ex omnibus,  
quæ homo licitè potest acquirere,  
*Ex cap. transmissa, de decimis, cap. non  
est, eodem titulo, & probat D. Thomas  
2. 2. questione 87. articulo secundo.*  
Unde de venatione, de negotiatio-  
ne, de qualibet arte, de ipsa etiam mi-  
lizia debentur decimæ, nimirum de-  
cima pars prædæ, & negotiationis, &  
cujuslibet alterius justii lucri propria  
industria ac labore acquisiti: deductis

tamen expensis, juxta *cap. Pastorales,  
de decimis*. Ubi Pontifex in nego-ia-  
tione concedit, ut possint expensæ  
deduci prius, quam decimæ solvan-  
tur ex lucro: quamvis juxta *cap. non  
est, eod. tit.* ex fructibus prædialibus, &  
mixtis non sint deducendæ expensæ,  
sed ex omnibus fructibus decimæ in-  
tegrè solvi debent, docet D. Thom.  
*loco cit., ad 4.* ut postea dicemus, ratio  
esse potest: quia in negotiatione ope-  
ratur manus Domini: in fructibus  
autem operatur manus Dei: ob id-  
que donum Dei meritò appellantur.  
Præterquam quod non dicitur lu-  
crum nisi id quod deductis expensis  
manet: at omnia, quæ ex terra nas-  
cuntur, fructus terræ nuncupantur.  
§ Sed hæc ex jure communi procedunt,  
quod in omni fere regno, ac  
Provincia sic abrogatum contraria  
consuetudine, aut præscriptione vi-  
dimus; ut nullibi ferè decimæ perso-  
nales sint in usu: quare in hac parte,  
consulenda est consuetudo legitimè  
introducenda, & jam stabilita, & secun-  
dum illam agendum, ut inquit Pa-  
normitan. in *cap. Cum homines, de De-  
cimis, num. 5. in fin.* Valent. *tomo ter-  
tio, disputatione 6. quest. 5. punct. 3. in  
fine.* Palau *tomo secundo, tractatu 10.  
disputatione unica, puncto 6. in fine.* &  
passim Doctores. Unde dixit Divus  
Thomas *questione 87. articulo secun-  
do, in corp.* & ideo in nova lege tenentur  
homines ad decimas personales, secun-  
dum consuetudinem patriæ, & indigen-  
tiam ministrorum. Unde Augustinus  
dicit, & habetur *16. questione 1. cap.  
decima: de militia, de negotio, & artificio  
redde decimas.*

Ex quibus rebus prædiales decimæ debeantur.

57. Inquires secundò: ex quibus rebus prædialibus, aut mixtis decimæ solvendæ sint? Respondetur, quòd ex omnibus fructibus, & proventibus rerum mobilium, & non mobilium, nisi aliud ex consuetudine sit introductum, *cap. tua nobis, cap. non est, cap. nuntios, de decimis, & probat Divus Thomas questione 87. articulo secundo*, quia omnium rerum Deus author, & productor est, & sic ut talis debet recognosci, omnium decimarum oblatione. Unde non solum ex tritico, sed etiam ex palea decima debetur; quia palea inter fructus terræ computatur. Fagundez 5. *præcept. Eccles. cap. 4. numero secundo*. Suarez *capite trigésimo quarto, numero secundo*, Azor libro septimo, *capite 35. questione nona*, & ex omnibus fructibus arborum, & oleis, & leguminibus, *cap. ex multiplici, de decimis*. Excipiuntur minuta olera, quæ ex hortis colliguntur: *Quia nunc de huiusmodi minutis rebus non tenentur homines decimas dare, nisi forte propter consuetudinem patriæ*, inquit Divus Thomas *loco citato, ad 3. S. o. libro 9. de iusticia, questione 4. articulo secundo ad 3.* Ex molendinorum, etiam ad ventum, proventibus decimæ debentur, quia absolute sunt rei fructus, ut habetur *cap. pervenit, cap. Pastoralis, capite ex transmissa, de decimis*. Et ex locatione domus, aut furni, aut lacus, aut prati, aut alterius cuiusvis rei, *cap. commissum, cap. pastoralis, eodem titul. & à fortiori ex ipsa herba in fasciculos colligata, ut vendatur, & ex arboribus nemorum si excidantur, non verò ex*

herba quando ad pascenda animalia colligitur, vel cum ea in pratis animalia pascuntur: quia jam ex ipsis animalibus decimatur. Suarez, Azor. Palau, *locus citatus*. Ex foetura autem animalium decima debetur, ut patet: & de fructibus, & proventibus ab eis provenientibus: ut sunt caseus, lac, butyrum, mel, cera ex apibus, *cap. quicumque, cap. omnes 16. questione septima, cap. nuntios, de decimis*.

58. Ex omnibus dictis fructibus integris, antequam ex eis pensiones, expensæ, aut tributa deducantur, decimæ solvendæ sunt, *cap. cum non sit, cap. tua nobis, cap. non est, cap. Pastoralis, de decimis*. Unde dicit Divus Thomas 2. 2. *questione 87. articulo secundo, ad quartum*, debentur autem decima de fructibus terræ, in quantum proveniunt ex divino munere, & ideo non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, quam solvantur decima; sed ante omnia debent decima solvi ex integris fructibus. Lessius *capite 39. dubio 3. numero 16.* Fagundez libro primo, *capite 4. numero sexto, Bonacini. supra questione quinta, puncto 3. in fine*. Cæterum cum decima pars debita sit ex omnibus integris fructibus; quorum aliqui optimi sunt, alii deteriores; nec tenentur homines meliores eligere, nec possunt deteriores dare; sed bona fide ex mediocribus tribuere debent: alias qui decimas Ecclesiæ solveret ex fructibus notabiliter deterioribus, & contra iustitiam, & Religionem mortaliter peccaret: obnoxiusque restitutioni maneret, &

Neque ex melioribus, nec deterioribus fructibus decimæ sunt solvende; sed ex mediocribus

& pœnas impositas pro fraudatori-  
bus decimarum incurreret. Sylvester  
verb. decima, § 5. numero tertio, Bona-  
cina num. 16. Fagundez numero septi-  
mo, Palau punct. 8. numero secundo.  
§ Quomocumque autem agri col-  
lantur, sive per propriam personam,  
sive per colonos, ex fructibus integris  
decima debetur, illa tamen à domi-  
no soluta, nec servus, nec colonus ex  
re sibi contingente debet solvere :  
alias bis ex eadem re decima solvere-  
tur. Quare si dominus agri omnes  
ejus fructus pro pretio sibi dato ces-  
sit semper, hoc intelligitur de omni-  
bus exclusa decima, quia hæc debe-  
tur Ecclesiæ : & sic in conductione  
fructuum intrare non potest, nec ra-  
tione illius potest conductor pre-  
tium offerre Domino agri. Sotus lib.  
8. de just. questione 4. art. 2. Suarez lib.  
1. cap. 35. num. 7. & 14. § Sed notat D.  
Thomas artic. 2. ad 4. Quod de his, qua  
furis, & rapina tolluntur, ille, à quo auf-  
feruntur, decimas solvere non tenetur,  
antequam recuperet; nisi forte propter  
culpam, & negligentiam suam, damnum  
incurrerit: quia ex hoc Ecclesia non debet  
damnificari. Si verò vendat triticum non  
decimatum, potest Eccl. sia decimas exi-  
gere, Ecclesiæ debitas, & ab emptore, quia  
habet rem Ecclesiæ debitam, & à vendi-  
tore, quia quantum est de se Ecclesiam de-  
fraudavit, uno tamen solvente alius non  
tenetur.

Reges 59. Inquires tertio, quæ personæ  
decimas debeant decimas solvere. § Respon-  
solvere detur omnes fideles baptizatos, nisi  
tenen- aliàs sint exempti, cap. transmissa, de  
tur, non decimis, cap. à nobis, cap. tua nos, eodem  
pauperes titulo, & tenet D. Thomas questione

87. articulo primo, & quarto. Unde  
etiam Principes, Imperatores, & Re-  
ges, ab hac obligatione exempti non  
sunt: quia etiam Reges sunt subditi  
Ecclesiæ Pastoribus, ab eisque reci-  
piunt Sacramenta: & quo plura à  
Deo receperunt, eo magis obligantur  
ad ea, quæ ad cultum Dei ordinan-  
tur. Quod præclare dixit lex Regia  
Hispaniæ 1. partit. titul. 20. leg. 2. ubi  
dicitur: *Tenudos son todos los homes del  
mundo de dar diezmos à Dios, è major  
mente los Christianos, porque ellos tienen  
la Ley verdadera, è son mas allegados à  
Dios, que todas las otras gentes. Eporende  
no se pueden escusar los Emperadores, nin  
los Reyes, nin ningun otro home poderoso:  
ca quanto mas poderosos, è mas honrra-  
dos fuerent, mas tenudos son de lo dar,  
conociendo que la honrra è el poder que  
han, todo les viene de Dios. Sic piissima  
lex, & ibi Gregorius Lopez, Rebuffi,  
questione 5. de decimis, num. 26. & que-  
stione 8. num. 27. Moneta de decim. cap.  
5. num. 26. Barbol. libro tertio, de jure  
Eccles. cap. 26. § 3. num. 2. § Pauperes  
autem, qui sunt in extrema necessi-  
tate, excusantur à solutione decima-  
rum ob inopiam: quod si ad fortu-  
nam meliorem deveniant, non ob id  
decimas non solutas tenentur restitu-  
ere: quia nec ratione injustitiæ, ac ju-  
ris, ad eam tenentur restitutionem,  
ut constat: nec ratione rei alienæ con-  
sumptæ, quia in extrema necessitate  
omnia sunt communia, & fiunt pro-  
pria apprehendentis, quemadmo-  
dum de furrupiente in extrema neces-  
sitate diximus tomo tertio, tractatu 13.  
de restitut. cap. 5. numero tertio, & te-  
nent Soto libro quarto, de justitia, qua-*

extremā  
necessi-  
tate la-  
borantes

fione 7. artic. 1. ad 4. Sayr. lib. 10. tra-  
 ctatu 15. num. 12. & 14. Sylvester verb  
 restituit. 5. num. 4. Diana parte quinta,  
 tractatu 8. resolut. 8. & 9. & loquendo  
 in casu nostro de decimis, Suarez  
 tomo primo, de relig. tractatu 2. libro pri-  
 mo, cap. 16. num. 17. Palau punct. 11.  
 num. 2. Laym. libro quarto. tract. 6. cap.  
 3. num. 6. Raphael à Torre 2. 2. qua-  
 stione 87. art. 4. dif. 3. num. 3. § Imo  
 non solum pauperes qui sunt in ex-  
 trema necessitate, aut quasi extrema  
 à solutione decimarum excusantur;  
 sed illi etiam qui gravi necessitate la-  
 borant; eo quod non habeant neces-  
 saria ad suam, & suorum congruam  
 sustentationem: quia solutio debiti,  
 ex justo titulo contracti optime dif-  
 ferri potest ob gravem necessitatem,  
 vel inopiam debitoris: sicut de illo,  
 qui ex mutuo, vel alio modo debet,  
 & solvere non potest, nisi cum gravi  
 incommodo, diximus loco citato. Sed  
 in hoc casu, quo ob necessitatem gra-  
 vem decimas non solvunt, illas, quas  
 tempore necessitatis prætermiserunt,  
 integre reddere, & restituere tenentur,  
 cum ad meliorem fortunam de-  
 veniunt, & talis solutionis pro tem-  
 pore, quo absque gravi incommodo  
 possunt, propositum habere tenentur:  
 quia in gravi tantum necessitate,  
 quæ non sit extrema, non fiunt bona  
 communia: & sic quæ ex alieno in ea  
 necessitate consumuntur, non con-  
 sumuntur ut propria, sed ut aliena: &  
 sic ratione rei alienæ consumptæ ad  
 restitutionem prædicti obligantur.  
 Suarez cap. 16. num. 18. versu, In hoc ve-  
 ro casu, Filliuc. tractatu 27. secunda  
 parte, cap. 8. quest. 3. n. 166, Torre su-

pra disputatione 3. num. 3. Laym. lib. 4.  
 tractatu 6. cap. 3. num. 6. Palau punct.  
 11. num. 2. Trullench. lib. 3. in decalog.  
 cap. 3. dub. 10. num. 9. & alij.

60. Ex jure communi omnes cle-  
 rici, sive Religiosi, sive sæculares, qui Clerici  
 parochi non sunt, decimas solvere decimas  
 tenentur, cap. 2. cap. Nuper, cap. ex par-  
 te, de decim. Sed non ex bonis Ecclesi-  
 asticis, seu quæ pertinent ad Ecclesi-  
 am; sed ex fructibus hæreditariis,  
 quæ sibi titulo patrimonij, legati, do-  
 nationis vel alio modo proveniunt:  
 quia etiam clerici debent à parocho  
 Sacramenta recipere, quæ est ratio,  
 quare sæculares decimas solvere te-  
 neantur. Unde dixit D. Thom. 2. 2.  
 quaestione 87. art. 4. in corp. Unde tales  
 clerici in quantum clerici sunt, id est in  
 quantum habent Ecclesiasticas possessio-  
 nes, decimas solvere non tenentur. Ex alia  
 vero causa, scilicet propter hoc quod pos-  
 sident proprio jure, vel ex successione pa-  
 rentum, vel ex emptione, vel quocumque  
 hujusmodi modo sunt ad decimas solven-  
 das obligati. Quod tenent Aragon ibi,  
 Torre disputatione 6. numero 11. Mol-  
 fel. tractatu 6. capite quarto, numero 38.  
 Covarr. lib. 1. variar. cap. 17. num. 8. Pa-  
 laus punct. 11. num. 3. Sotus lib. 9. qua-  
 stione 4. articulo quarto, Guttier. lib.  
 quaest. Canonic. cap. 21. numero 52. Les-  
 sius libro secundo, cap. 39. dub. 5. nu. 23.  
 Fagundez 5. præcept. Eccles. libro secun-  
 do, cap. 2. numero quarto, Trullench.  
 dub. 10. numero secundo. § Imo de su-  
 prædictis bonis patrimonialibus, vel  
 alijs, quæ Ecclesiæ non sunt, decimas  
 tenentur solvere, etiam si ad titulum  
 eorum fuerint ordinati & etiam si  
 Ecclesiæ, cui decimæ debentur inter-  
 vian,

viant, Tum, quia tale patrimonium titulo seculari adhuc possidetur. Tum etiam, quia Ecclesia non debet defraudari re sibi debita ob susceptionem Ordinum. Sic Barbosa libro tertio, de jure Eccles. cap. 26. §. 3. num. 10. Bonacin. dissertatione ultim. de precept. Eccles. questione ultim. punct. 7. Suarez como primo, de relig. tractatu secundo, libro primo, cap. 17. num. 22. Fagundez & Trullench. loco citato.

Qualiter parochi decimas solvere debent.

61. At parochi minime tenentur de prædijs beneficij, quæ exempta sunt, utpote bona Ecclesiæ, de quibus inquit D. Thom. art. 4. ad 1. prædia vero Ecclesiæ non sunt ad decimas solvendas obligata, etiam si sint intra terminos alterius parochiæ. Ex bonis autem patrimonialibus, quæ titulo seculari possident, vel quæ sibi relinquuntur, non ut parochis, seu ut incorporentur cum bonis beneficij, sed ut personis particularibus, decimas debent Ecclesiæ, in cujus jurisdictione prædialia sita sunt, & cui antea decimas solvant: quia res cum suo onere transit, & pro præsentis est expressus textus in cap. si quis laicus, vel clericus 16. questione 1. cap. Ecclesiæ cum duob. seq. eadem causa, & quest. & hoc etiam si ipse parochus sit illius Ecclesiæ, cui decimæ debentur, si dantur alij clerici inter quos decimæ dividantur: quia ut bene inquit D. Thom. loco citat. Clerici de proprijs prædijs tenentur solvere decimas parochiali Ecclesiæ sicut & alij, etiam si ipsi sint ejusdem Ecclesiæ clerici: quia aliud est habere aliquid ut proprium, aliud ut commune. Et sic quando ipsi decimas illius Ecclesiæ integre non recipiunt, alijs donare debent

partem, quæ illis competit. Barbosa lib. 3. de jure Eccles. cap. 26. §. 2. num. 10. Covarruv. lib. variar. cap. 27. num. 8. Gutierrez. quest. Canon. lib. 1. cap. 27. n. 54. Trullench. lib. 3. cap. 3. dub. 10. num. 4. Fagund. lib. 2. cap. 2. num. 8. Suarez cap. 17. num. 16. Palaus punct. 11. num. 5.

62. Inquires denique, quæ pœnæ sint impostæ non solventibus decimas, aut facientibus eas non solvi, vel eas aliquomodo usurpantibus? Respondetur, quod in cap. si autem. 16. q. 1. sub pœna excommunicationis præcipitur, ut omnes, integras decimas, quibus debentur, solvant, & in Tridentino sess. 25. cap. 12. de reform. dicitur: qui decimas subtrahunt, aut impediunt excommunicentur, neque ab illo crimine nisi prævia restitutione requisita absolvantur. Sed non ob id deneganda est absolutio eis, qui ob paupertatem, solutionem decimarum prætermittunt, si in proposito sunt solvendi, cum poterunt: quia non est credibile Concilium velle denegari Sacramenta ei, qui in culpa non est restituendi. Navarr. cap. 17. n. 59. ad finem. Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 20. n. 19. Henric. lib. 13. cap. 28. num. 1. Bonac. disp. ultim. de 5. Eccles. precept. quest. 5. punct. 7. § Deinde in Clement. Cupientes, de pœnis, ipso jure excommunicantur Religiosi cujuscumque Ordinis, qui in concionibus, & aliis locis aliqua tractant, ex quibus moventur audientes, ut decimas debitas non solvant, quam pœnam ut incurrant eo pravo animo debent illa dicere, & coram iis, qui tenentur, solvere. Et ibi etiam additur excommunicatio adver-

Pœnæ recententur, quas non solventes decimas incurrun.

sus Religiosos, qui scienter pœniten-  
 tes non obligaverint decimas solve-  
 re, & postea cum possint, non emen-  
 daverint: factum, audentque potius  
 concionari eos non habere talem  
 obligationem: & omnes istas actio-  
 nes requirit textus concurrere ad in-  
 currendam talem excommunicatio-  
 nem, ut notavit Toletus in *explicatio-*  
*hujus Clement. Palaeus punct. 11. n. 2.*  
 § Et præterea Leo V. in Concilio La-  
 teranensi statuit, quod confessarij te-  
 neantur hortari, & monere, etiam  
 sub onere conscientiarum suarum,  
 illos, quorum confessiones audierint,  
 cujuscumque fuerint conditionis, ad  
 solvendas decimas; illisque eas sol-  
 vere recusantibus, absolutionem de-  
 negare: & quod super hoc requisiti,  
 id populo etiam publicè prædicare,  
 & persuadere teneantur: ut habetur  
 in supplemento fol. 26. concess. 82. & in  
 compend. privileg. verb. decima §. 14. De  
 quo Rodriguez tom. 2. quest. 44. art.  
 3. Lezana tom. 3. verb. decima num. 12.  
 Tamb. tom. 1. disp. 1 §. quest. 18. num. 65.  
 Qui advertunt, quod ex concessione  
 Eugenij IV. Regulares non tenentur  
 onerare conscientiam dicto modo  
 consentientibus, nisi quando ab Ordi-  
 nariis fuerint super hoc requisiti:  
 quod satis rationi, ac consuetudini  
 conforme est, inquit Lezana, & ita  
 observandum, etiam si dicta conces-  
 sio Eugenij IV. fuerit vivæ vocis ora-  
 culum.

## §. II.

*Qualiter jure communi, Religiosi com-*  
*muniter viventes, exempti sint à*  
*solutione decimarum?*

63. **E**Xplicatâ jam obligatione  
 omnium fidelium baptiza-  
 torum, ad solvendas decimas, vidi-  
 mus etiam quod ab hac obligatione  
 potuit jure optimo Pontifex ali-  
 quos eximere, maxime illos, qui coo-  
 peratores sunt ad inserviendum po-  
 pulo, in spiritualibus; qualiter Regu-  
 lares concionibus, & confessionibus,  
 & alijs charitatis operibus, magna  
 cum utilitate fidelium insudate nemo  
 nisi cæcitiens haud videbit. Quod ip-  
 sum attendentes Domini Episcopi Re-  
 gularibus bene affecti (pauci sunt, qui  
 eorum restringere privilegia, vel eos  
 in re tot titulis debita, perturbare non  
 attentant) & eorum favori inclinati,  
 omnem gratiam, justitiæ lege servata,  
 ut par est, omnemque benevolentiam  
 ostendunt neglectis impugnatorum  
 oppositionibus. Videamus modo,  
 quid ex jure communi, & antiquis-  
 simo eis competat: ad quod recur-  
 rendum est, quando privilegia parti-  
 cularia defuerint; & etiam quando  
 adsunt, ut magis roborata, & firmata  
 permaneant: & postea de privilegiis  
 extra corpus juris concessis sermo-  
 nem faciemus.

64. Igitur ex jure communi an-  
 tiquissimo Monachi, aut Religiosi,  
 aut Clerici in communi viventes ex-  
 empti erant à decimis solvendis, non  
 solum

Merito  
 Regularibus ex-  
 emptio à  
 decimis  
 concessa

Jus anti-  
 quum  
 circa de-  
 cimas ab

Inno-  
centio  
III. tem-  
pera-  
tum,

solum personalibus, quod constat ex cap. Decimis 16. quæst. 1. verum etiam à decimis prædialibus earum operarum, quas ipsi propriis manibus, aut expensis colebant, sive propria forerent tales terræ, sive conductæ, dicto cap. decimas 16. quæstione 1. cap. ex multiplici, cap. ex parte 10. de decimis, & tenet Glossa in cap. decimas. & ibi Turrecremata & Rebuffus tractat. de Decimis. quæstione 5. numero 7. & 15. Suarez tom. 1. de Relig. tract. 2. capite 18. numero 3. & 5. Fagundez de 5. Eccles. præcept. lib. 2. cap. 3. à num. 7. § Postea Innocentius III. in concil. Lateran. ut habetur in cap. Nuper. de Decim. privilegia dicta concessa Cisterciensibus, Templariis, Hospitalariis, & aliis, limitavit, statuens eos teneri ad solvendas decimas de prædiis, ac terris post dictum Concilium ab eis possidentibus, si novalia non fuerint, sed ex eis antea decimæ solvebantur; sive per colonos, sive propriis manibus, aut sumptibus eas excoluerint. Unde ex vi hujus capituli tenentur Religiosi ex omnibus prædiis, quæ ante dictum Concilium non possidebant, sed post illud acquisierunt, ex quibus aliàs decimas solvebant, eas solvere Ecclesiis, quibus competunt, nisi novo privilegio, consuetudine, compositione, aut præscriptione oppositum possideant. Sic Rebuff. loc. cit. quæst. 5. num. 7. & 29. & quæst. 14. num. 30. & 42. Suarez num. 5. Fagundez num. 10. Gutierr. lib. 1. quæst. canonic. cap. 21. num. 136. Tamburin. tom. 1. disput. 15. quæst. 18. num. 1. Palauts tomo 2. tract. 10. disp. unic. punct. 12. num. 2.

65. Itaque jure communi modo Religiosi omnes exempti sunt à solutione decimarum de prædiis novalibus suis, etiam de hortis, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, & de animalibus, quæ ad eorum sustentationem nutriunt, dicto cap. ex parte. de decimis, & Glossa ibi: verbo, alijs vero monachis. Rebuffus loco citat. quæstione 14. numero 43. & 45. Moneca tract. de Decim. capite 4. à num. 56. Tambur. num. 2. Sed ante probationem assertionis sciendum est, per novale prædium illum locum intelligi, qui noviter ad culturam redactus est, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit, & de quo ante culturam nihil aut modicum quid decimarum percipiebatur. Cap. Quid per novale, & ibi Glossa, & Doctores omnes de verbor. signific. at quod semel fait novale, semper manet novale quoad decimarum solutionem, cap. ultim. de privil. Duo tamen requiruntur ut de novalibus suis Religiosi solvere decimas non teneantur. Primum, quod novale sit eorum proprium. Secundum, quod propriis manibus, aut sumptibus illud ad culturam reducerint, dicto cap. Ex parte ibi: novalibus suis, quæ propriis manibus, aut sumptibus excolunt. Unde si alij usurpaverint, & novalia ad eos pervenerint, cessat privilegium. Ut Rebuff. loc. citat. numero 46. versu. Unde si quis. Hostien. dict. cap. ex parte num. 2. Et idem est si sint aliena, & ab ipsis Religiosis conductæ; vel si sint propria, & aliis excolenda tradant, vel ad culturam per colonos reducant. Cap. licet. de Decimis, & ibi Glossa.

Quid  
per mo-  
bilia in-  
telliga-  
tur?

lii 3

Qno

66. Quo supposito, probatur assertio: quia in dicto capite ex parte hæc terra concedebantur; quod non solverent decimas de novilibus suis, nec de animalibus, nec de hortis, nec est horum aliquid revocatum per caput *Nuper de decimis*: ergo manet in suo robore tale privilegium, sicut ante Concilium Lateranense erat. Consequentia constat: quia ex alio textu revocata non est concessio, in dicto capite ex parte facta, nisi in dicto cap. *Nuper*. Probatur minor quoad primam partem: quia in capite *Nuper*, ut dicebamus, solum statuitur solvendas esse decimas ex prædijs acquisitis post Concilium, ex quibus antequam ad Regulares pervenirent, decimæ solvebantur: ergo non de novilibus, quæ per ipsos de novo ad culturam reducuntur, ex quibus nunquam Decimæ solvebantur. § Eadem ratio probatur, quoad secundam, & tertiam partem: quia cum dictum caput *Nuper* nihil de gregibus, & animalibus, aut hortis loquatur, reliquit in suo robore dispositionem capituli ex parte de decimis, in quò eximit Pontifex Regulares à solutione decimarum, de animalibus, quæ ipsi suis sumptibus nutriunt, & de fructibus horticulorum suorum. Et sic in leg. Regia 4. titul. 2. part. 1. dicitur: *que todas las Religiones qualesquier que sean no deben pagar diezmos, ni de sus huertas, ni de los ganados que crian.* Rebuffus n. 57. Petrus Greg. *Synagmat. juris part. 1. l. 2. capite 2. 4. numero 7.* Barbosa lib. 3. de jure Eccles. cap. 26. §. 3. num. 46. Moneta de decim. capite 5. num. 17. Tamburin, numero 2. & 3.

67. Et intelligitur de hortis, quos vel suis laboribus, vel suis sumptibus colunt, etiam si olera, quæ superflua, ad sustentationem vendantur, ut in alios usus monasterii pecunia inde deducta, convertatur. Tum: quia in cap. ex parte absolute, & sine ulla distinctione conceditur exemptio decimarum de hortis suis: quod privilegium ut vidimus revocatum non est per caput *Nuper de decimis*, nec ulla modo limitatum. Cur ergo limitandum est ad fructus horticulorum, qui ad sustentationem Religiosorum extrahuntur; & non potius etiam extendendum ad illos, qui venduntur, cum omnes profusus necessitati Religiosorum deserviant, pecunia inde extracta, in usus alios necessarios monasterii conversâ. Tum etiam: quia multa sunt, præter hoc, privilegia concessa Regularibus, in quibus eximuntur à solutione decimarum de hortis, prædijs, arboribus suis, quæ ipsi colunt proprijs laboribus, aut sumptibus; & hoc cum revocatione expressa illius capituli *Nuper*: ut concessere Paulus III. Pius IV. & Gregorius XIII. Societati, & alij Pontifices alijs Religiosis; ut Sixtus IV. Carmelitane in Mari magno illius, de quibus, & alijs agemus §. sequenti, num. 72. ergollet per caput *Nuper* revocatum esset privilegium concessum Regularibus in capite ex parte, quod certe non fuit ut constat, ex vi aliorum, quæ sunt extra corpus juris, exempti sunt à solutione decimarum ex fructibus horticulorum suorum, quod locò citatò dicemus ex communi sententia asserente nedum ex hortis suis; sed etiam ex

om.

omnibus prædijs, terris, pratis, montibus, & arboribus, laboribus, vel sumptibus Religiosorum excultis, non debere solvere decimas: & pro hac sententia authores varios tam ex Juristis, quam ex Theologis lato calamo adducemus.

Privilegia circa decimas concessa Religiosis, non sunt restringenda, sed amplianda.

68. Sed notandum est primo. Quod privilegia, de quibus loquuti sumus inserta in corpore juris, latissimè interpretanda sunt, propter dicta hoc tract. cap. 1. num. 78. alia vero, de quibus dicemus §. sequenti, quæ sunt extra corpus juris, etiam sunt latè interpretanda, propter ea quæ loco citato numero 85. diximus: non enim dicenda sunt odiosa; cum finis eorum principalis sit favor Religionis in communi. Et licet sint in præjudicium tertij, nihilominus absque injuria illius, & cum summa æquitate à Pontificibus concessa fuerunt, cum non minus laborent Religiosi in spiritualibus populos instruendo, quam parochi; & sic nulla sit parochis injuria, si Religiosi, qui ab eis spiritualia non recipiunt, sed potius abundanter populis conferunt; non conferant illis temporalia. Unde licet hæc privilegia data in favorem Religionis, sint contra jus commune, aut contra jus tertij, ampliari tamen debent: quia summa ratio est, quæ pro Religione facit. Suarez de legib. lib. 8. capite 27. numero 7. Sanchez lib. 8. de matr. disputatio 1. numero 13. Lezana som. 3. verb. decima, numero 8. §. Esto tamen talia privilegia restringenda forent (quæ non sunt in corpore juris) quia sunt contra jus tertij, qui habet intentionem fundatam in jure communi, & ob id

interpretanda, ita ut lædant minus, quam possint: quod satis probabiliter docent multi, à Sacra Rota non semel fuisse decisum; veluti in illa causa Toletana de decimis; quam decisionem adducit Diana parte 10. in decisionib. Rosa, decis. 7. Et in alia Valentina, quam adducit Tambur. som. 1. disp. 15. quest. 18. num. 38. quod ut probabile tenet ipse Suarez tomo 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 18. & Noster Lezana loco citat. num. 5. Palas punct. 1. numero 4. Semper tamen ut ipse dicunt, ita est hæc restrictio facienda, ut verba privilegij in sua proprietate salventur, & semper cum consideratione, quod Religiosi, quibus conceduntur, sunt optime meriti de Ecclesia sancta, & ut diximus cooperatores ministrorum Ecclesiæ in administratione spiritualium.

69. Notandum est secundo, quod privilegia concedentia exemptiones à decimis, quæ non sunt inserta in corpore juris, ut possint prodesse, debent esse cum expressa derogatione illius cap. Nuper. aliter contra illud non prævalebunt: quia est dispositio Concilij Generalis Lateranensis: & sic censetur habere clausulam derogatoriam ad futuras dispositiones. Unde ut vim habeant privilegia post illud contra illud concessa, necessaria erit expressa illius derogatio, uti diximus cap. precedent. num. 40. & tenent Tambur. num. 39. Campanil. in divers. juris canonic. Rubrica 12. cap. 13. n. 154. Rota decis. 152. & sequentib. part. divers. Alias Rotales decisiones refert Barbof. lib. 3. de jure Eccl. c. 26 §. 3. n. 37. 38. & 41. Hieronym. Garcia in Politic. regul.

Privilegia concedentia exemptiones à decimis solvendis ut valeant debent expresse abrogare cap. Nuper.

regul. tom. 1. tractat. 8. difficul. 3. dub. 3. punct. 4. num. 6. Sufficit autem pro derogatione dicti capituli *Nuper*, quod in clausulis privilegij concessi, fiat mentio Conciliorum Generalium, absque eo, quod requiratur expressa, & individua mentio dicti capituli *Nuper*, aut Concilij Lateranensis. Tamburin. num. 40. Quod enim in derogatione Concilij Generalis fiat ejus individua mentio, est singulare in Tridentino, propter ea, quæ diximus loco citat. num. 41. quamvis etiam adhuc de illo non requiri specificam mentionem quamplures sentiant.

Privilegium communicationis, an proficit pro decimis non solvendis?

70. Sed rogabis forte an quando uni Religioni datur privilegium communicationis in privilegijs alterius, inter quæ unum est exemptio à solutione decimarum, ex vi illius possit Religio communicans, eximi à solutione decimarum, ac si ipsi in specie privilegium talis exemptionis concessum fuisset? Sunt plura talia privilegia §. sequenti adducenda, aliqua magis ampla, alia magis restricta; hæc concessa uni Religioni, illa alteri; aliqua cum expressa derogatione capituli *Nuper*, alia sine tali derogatione expressa. Forte aliqua Religio erit, cui cum tanta amplitudine non fuit concessum privilegium exemptionis à decimis, ac concessum est, verbi gratia, Religioni Dominicanæ, Carmelitanæ, Societatis, aut D. Hieronymi, & tamen illa Religio habebit privilegium communicationis cum omnibus alijs, in omnibus, & singulis privilegijs illis concessis, & concedendis. Queritur ergo, an ex vi hujus privilegij communicationis, proficit

Religioni communicanti in aliarum privilegijs exemptionis à decimis privilegium, ac si illi in specie concessum esset? § Negat prima sententia, nisi in tali privilegio communicationis fiat expressa mentio hujus privilegij exemptionis. Tum; quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non solent nisi difficulter concedi: sed exemptio à decimis non solet concedi nisi magna cum difficultate, & cum cognitione causa: ergo in concessione generali communicationis, tale privilegium exemptionis non conceditur. Tum etiam: quia privilegia exemptionis amplianda non sunt, sed restringenda, ut minus lædant quam possunt, eo quod sint contra jus tertij, & sic odiosa: ergo non debet fieri in eis extensio de una, ad alteram Religionem: & ita multoties decidisse Sacram Rotam testantur, qui hanc sententiam sequuntur: & sunt Tambur. tom. 1. disputat. 15. quest. 18. num. 34. Barbosa de jure Eccles. lib. 3. cap. 26. §. 3. num. 41. & in cap. *Nuper. de decim. num. 4.* Diana 10. part. tract. 12. & 2. Miscell. resolut. 49. Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 3. cap. 3. dub. 11. num. 4. Felin. in cap. *sedes de rescriptis num. 3.*

71. Sed affirmativam amplectimur sententiam, quam tenent Raphaël à Torre. 2. 2. questione 87. disputat. 1. num. 5. Joannes à Cruce in Epitom. de Privileg. lib. 2. cap. 9. dub. 4. per totum. N. Antonius à Spiritu sancto in direct. Regul. tract. 2. disputat. 3. sect. 6. num. 169. Philippus à Cruce de decim. §. 2. num. 8. Hieronym. Garcia tract. 8. difficul. 3. dub. 3. punct. 4. num. 5. N. Lezana munit

tom. 3. verb. decima num. 8. Ubi optime rem declarat, & objectiones in contrarium dissolvit his verbis: (Sed quia hic communiter afferri solet communicatio privilegiorum aliarum Religionum, ita ut in hac materia, sicut in aliis diservire dicatur communicatio privilegiorum, quam aliqua Religio habent; observandum, Sacram Romam in causa Valentina anno 1603. decidisse privilegium eximens à solutione decimarum, non comprehendi sub generali communicatione unius religionis, in privilegijs aliarum: nisi expresse fiat mentio talis privilegij, etiamsi inter privilegia communicata adsit aliquod, quod non contineat aliud, quam exemptionem à solutione decimarum. Cujus decisionis duplex assignatur ratio, &c. Prosequitur statim. Sed quamvis multum deferendum sit hujusmodi S. Roræ decisionibus, eo quod à viris sapientissimis, & magna adhibita diligentia factæ sunt; nihilominus rationes adductæ non videntur valde efficaces. Non quidem prima: quia hujusmodi exemptionis privilegium non raro, sed sæpius, nec magna cum difficultate à sede Apostolica concedi solet Religionibus, ut patebit intuenti privilegia supra relata (& per nos, infra referenda.) Nec secunda: nam doctrina illa intelligi debet, quando recta ratio non dicat contrarium, ut quando agitur de causa pia, & Religiosa; maxime concernente utilitatem totius Religionis, aut monasterij, ut in præfenti. Tunc enim privilegia quamvis contra jus commune

sint, & in præjudicium tertij, ampliari debent. Quia ut bene jurisconsultus in *l. sunt persone ff. de Relig. sumpt. funeral.* Summa ratio est, quæ pro Religiosis facit, Suarez de leg. lib. 8. c. 27. num. 7. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 13. Quare (sub aliorum censura) non video rationem sufficientem, quare in aliis materijs subsistat communicatio privilegiorum, quam Religiones habent, non vero in ista.) Hactenus sapientissimus Carmelita.

S. III.

De Privilegijs concessis Religionibus extra corpus juris circa exemptionem à solutione decimarum.

72. Virtute suorum privilegiorum nunc de facto exempti sunt Religiosi, non solum à decimis personalibus solvendis sed, etiam à solvendis prædialibus, ac terrarum suarum, quas proprijs manibus aut sumptibus excolunt, & à solvendis decimis ex Provenibus, & fœtibus pecorum suorum. De hoc ultimo jam diximus num. 68. etiam ex jure communi esse exemptos ab his solvendis, sicut & à solvendis decimis de fructibus hortorum suorum. Quoad decimas prædiales probatur: quia omnes fere Religiones hujusmodi privilegia à Pontificibus obtinuerunt, ut referunt Miranda in *manual. tom. 2. qu. 49. art. 12.* Tamb. de jure Abbat. tom. 1. disp. 15. quest. 18. à n. 8. Lezana verb. decima. n. 2. Rodr. in coll. Bull. bull. 5. Martini V. Jo. à Cruce

Privilegia Regularium pro non solvendis decimis recentur.

Kkk supra

Qui  
contra  
nicam  
cum  
in pri  
legij  
etiam  
isto  
empio  
nis  
a

Supra l. 2. c. 9. dub. 4. Raphael à Torre 2. 2. quest. 87. disp. 1. num. 5. pagin. 575. Barbofa de jure Eccles. lib. 3. cap. 26. §. 2. à num. 21. & in cap. ex parte num. 3. de decim. ubi ait, sic decisum fuisse à Sacra Rota 18. Dec. anno 1615. & tenent communiter Doctores. Et merito: quia sic concessit Eugenius IV. Augustinianis, quod postea confirmavit Sixtus IV. in eorum Mari magno §. 12. num. 29. Clemens VII. Monachis S. Benedicti Vallisoleranis, & Sixtus IV. Cisterciensibus, & idem Sixtus IV. Prædicatoribus, Minoribus, Carmelitis; Martinus V. Carthusianis, anno 1420. Gregorius XI. Mercenariis an. 1373. quod etiam Urbanus VIII. ann. 1634. Trinitarijs Excalceatis, & alijalijs concessere, ut potest videri apud citatos. Sed pro nobis Carmelitis extat notabile privilegium Sixti IV. confirmatis in Mari magno Ordinis, quod Innocentius IV. Clemens IV. Innocentius VI. & Alexander IV. antea concesserant, quod etiam ipse Sixtus IV. ampliavit, ut explicat Lezana tom. 2. cap. 1. nu. 32. & tom. 3. verb. decima num. 4.

Nec de futuris prædijs Religio- si solvere decimas tenentur

73. Sed difficultas prima est, an ex vi dictorum, & aliorum privilegiorum, nunc de facto Religiosi non solum sint exempti à solutione decimarum de prædijs, quæ ante Concilium Lateranense possidebant; sed etiam de prædijs, tertis, arboribus in futurum possidendis ab Eis? § Responderetur affirmative: & hoc non solum de novalibus intelligendum est, sed etiam de alijs ex prædijs, quæ proprijs laboribus, aut sumptibus excolunt, etiam si antea ex eis decimæ sol-

ventur: hæc est fere communis sententia, & probatur primo. Quia prædicta privilegia aliquid de novo concedunt, quod non erat ex jure communi concessum: quia si nihil aliud concederent, quam id, quod ex jure communi habebant Religiosi, frustanea essent, & nihil operarentur: sed ex jure communi habent Religiosi Privilegium non solvendi decimas ex novalibus, ut diximus, nec ex prædijs ante Concilium Lateranense possessis, quia cap. Nuper de his non loquitur; sed de possidendis post illud: ergo ut Privilegia Religionum (quæ fere omnia sunt revocatoria dicti cap. Nuper) aliquid operentur, dicendum est extendi ad prædia in futurum possidenda, de quibus antea decimæ parochis solvebantur. § Secundo: quia plura ex illis expresse loquuntur de prædijs possessis, & in posterum possidendis, etiam si ex eis antea solverentur decimæ; tale concessit Sixtus IV. in bulla, dum attenda, quæ est mare magnum Religionis Nostræ & Joannes XXII. in bulla 4. pro Præmonstratensibus, & Paulus III. & Gregorius XIII. pro Societate cum derogatione capituli Nuper, & multoties decisum fuisse à Sacra Rota testatur Lezana tom. 5. in Mari magno Prædicatorum §. 26. nu. 7. Et Sacram Congregationem Cardinalium sic declarasse testatur Bellarminus ad c. 12. sess. 25. Tridentini. Quare declarationes Sacræ Congreg. huic Doctrinæ contrariæ, quas affert Barbofa in Collect. bullar. verb. decima, intelligendæ sunt de Regularibus, non habentibus specialia privilegia, ut explicans

placant auctores infra citandi. § Tercio: quia licet in privilegijs hoc non diceretur expresse, sufficit, quod late, & sine ulla exceptione concedant Regularibus exemptionem à solvendis decimis ex prædijs suis, ut intelligatur tam de prædijs illius temporis, quam de futuris, ut expresse dicitur in 6. Quia circa de privil. in 6. Ubi interrogatus Pontifex, an privilegium monachis concessum de reinendis decimis, extendatur ad possessiones acquirendas? Respondit affirmando: quia, (inquit) indiffinitè concedendo, subintellexisse videtur non solum decimas illius temporis, sed etiam futuri. Sic Bertrandus volum. 6. consil. 15. à n. 5. Palau tom. 2. tract. 10. disp. unica punct. 12. n. 6. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 19. n. 7. Joan. à Cruce in Epitom. status Relig. lib. 2. cap. 9. dub. 4. conclus. 2. Filnet. tract. 28. cap. 8. qu. 11. n. 184. Ant. à Spiritu S. tract. 2. disp. 3. sect. 6. n. 160. Lezana 10. 3. verb. decima n. 11. Diana 10. part. tr. 12. & 2. Miscell. resol. 52. Leander à Sanctissimo Sacramento in 5. Ecclesia precepto tract. 6. disp. 6. quest. 48.

Quod 74. Secunda difficultas est, an de Religiosi prædijs, terris, agris, aut possessionibus, quas alijs colendas tradunt, vel per colonos per arendatarios, aut colonos excolunt, religiosi, ipsi vel prædiorum coloni teneantur decimas parochis tribuere? § Affirmat teneri prima sententia: quia privilegium de non solvendis decimis, est personale datum Religiosis, non reale adhærens terris; alias si possessionibus adhæreret, cum Regulares eas vendunt alijs, cum dicto privilegio transirent ad emptores, quod apud omnes est fal-

sum: ergo sicut quia privilegium est personale, non transit ad emptorem agrorum; ita neque ad arendatarium, aut colonum: & sic isti ex terris, quas excolunt, solvere decimas tenentur: quod multoties decisum esse à S. Rota testantur Trullench. lib. 3. Decal. capite 3. dub. 11. n. 3. Barbol. de jure Eccles. lib. 3. cap. 26. §. 3. n. 40. qui pro se adducit Suarez De relig. tom. 1. tract. 2. cap. 19. n. 3. Azor. part. 1. lib. 7. cap. 27. quest. 7. Tamb. tom. 1. disp. 15. quest. 18. n. 5. Sed certe hi auctores, & decisiones Sacræ Rotæ non loquuntur de privilegijs extra jus Commune concessis Regularibus, & in corpore juris non insertis; sed de solis privilegijs in corpore juris insertis; & sic stando in terminis juris communis in cap. ex parte de decimis, fatemur colonos non eximi ab obligatione solvendi decimas, sed cum illa agros conducere, aut locatò, vel in emphyteusim recipere: quia dictum privilegium solum eximit agros, quos Religiosi proprijs manibus, aut expensis colunt. Cæterum ab hac obligatione eximuntur per alia privilegia in corpore Juris non inserta.

75. Dicendum itaque est, neque Religiosos de prædijs, aut terris, quas alijs colendas tradunt; neque colonos, arrendatarios, vel illas colentes teneri parochis solvere decimas, de fructibus ex talibus prædijs perceptis; sed Colonos teneri ad eas solvendas Religiosis ex eorum terris conductis, quando sunt sub eorum dominio; nisi eas conducendo pretium augeant, ut absque onere solutionis decimarum illas recipiant,

Kkk 2. quod

quod est jam decimas virtualiter solvere. Probatur assertio: quia privilegium reale eximit à debito decimarum illorum prædiorum, quæ per alios coluntur, ut docet Glossa in *Clementin.* 2. de decimis, versu, *excolendas*, & ibi communiter Doctores: sed privilegium exemptionis à decimis solvendis, concessum Regularibus est reale afficiens ipsa prædia, & possessiones, & sic transit cum tali privilegio ad colonos, & arrendatarios: ergo, &c. Probatur minor: nam vel privilegia dicunt: *eximimus talem Religionem*, & illius prædia, possessiones (ut sunt plura, quæ infra dabimus) & sic planum est nedum personas, sed ipsas res, & prædia privilegiata manere: vel solum dicunt: *eximimus Religionem à solvendis decimis prædiorum suorum*; & tunc adhuc esset reale privilegium; quia si tunc deberent solvere coloni decimas, verè ipsi Religiosi solverent, & non esset exempta Religio: quia hoc ipso coloni detraherent de pretio locationis, & minorem redderent pensionem Religiosis, quam solverent, si decimas dare non deberent; & sic illa decima à colonis soluta, esset virtualiter à Religiosis exhibita: ergo ut verificetur Religiosos exemptos esse à solutione decimarum, exempta debent esse prædia, quamdiu sunt sub dominio Regularium, etiam si per alios colantur: & solum desinent esse privilegiata talia prædia, hoc ipso quod alienentur, & transeant ad aliorum dominium per venditionem, aut donationem; quia tunc exempta non sunt à solutione decimarum: Proinde Religiosi non tenentur dare decimas et-

iam de terris aliis ad colendum traditis: Imò ipsi possunt percipere decimas, quas coloni tenentur Ecclesiæ solvere.

76. Totum hoc concessit Bonifac. VIII. Bulla 10. Cisterciensibus. Joan. XXII. Carthusianis, cum revocatione *cap. Nuper*. Sixtus IV. Carmelitis. Clem. VIII. Militiæ S. Jacobi, & Bonifacius VIII. præcepit Prælati Ecclesiæ, ut haberetur in *compend. Mendicant. titul. decima §. 17.* ut cum censuris inhibeant suis subditis, ne à fratribus Hospitalis S. Joannis decimas exigere de illorum terris præsumant, quas suis sumptibus, vel per suos arrendatarios, vel cultores ad tempus, & non in perpetuum excoli faciant. Ac denique Paulus III. anno 1555. & sui Pontificatus anno 1. concessit Ordini S. Hieronymi id ipsum, & Greg. XIV. & Innoc. IX. Conventui del Escorial, cum revocatione *cap. nuper*. Quod Clem. VIII. an. 1601. ampliavit pro toto Ordine, ut refert Hieron. Garcia *tom. 1. tract. 8. difficult. 3. dub. 2. punct. 4. n. 10.* Unde Villalob. *tom. 2. tract. 33. difficult. 4. num. 5.* sic dicit: (y concluye el P. Miranda, que comunmente hablando, todos los Religiosos el dia de oy tienen privilegios para no pagar diezmos. Y no obsta contra esto una declaracion de Cardenales, que trahе Marzilla; porque esa se ha de entender de derecho comun. De suerte que ni los Religiosos, ni los que arriendan sus campos estan obligados à pagar los diezmos al parrocho. Y dice Henriquez que asi se juzgo el anno de 83. en Salamanca: y tambien se juzgo en Baeza, y en Mur-

Privilegia dictam doctrinam confirmantia referuntur.

Murcia. Y da la razon diciendo: que este privilegio de los diezmos no es personal, sino real, y asi passa con la misma cosa. ) Idem, & eisdem ferè verbis testantur duo alij, qui in lingua Hispana scripserunt. Joannes à Cruce de privileg. lib. 2. cap. 9. dub. 4. conclus. 4. Philippus à Cruce tract. de decim. §. 2. num. 9. Idem tenet Glossa in Clement. Religiosi, de decimis, verb. excolendas. Abbas in cap. ex parte de decim. num. 5. Fagundes quest. Regul. tom. 2. quest. 44. art. 4. Raphael à Torre 2. qu. 87. disp. 6. fol. 580. Castro Palao tom. 2. tract. 10. disp. unic. punct. 12. num. 10. Antonius à Spiritu sancto tract. 2. disput. 3. sect. 6. num. 161. & 163. Diana part. 10. tract. 12. & 2. miscell. resolut. 51. Pellizzar. tom. 2. tract. 8. cap. 7. sect. 5. num. 176. Peyrin. tom. 1. privileg. Minim. constit. 2. Julij II. nu. 132. Henric. lib. 7. de indulg. c. 27. Tamb. tom. 1. disp. 15. q. 18. n. 31. Garcia, Villalobos loci citatis.

77. Tertia difficultas est, an hujusmodi privilegia de non solvendis decimis extendantur ad prædia conducta, locata, vel in emphyteusim accepta ab ipsis Religiosis, quæ ipsi propriis manibus, aut sumptibus colunt, licet aliena sint, & à Monasteriis conducta? Negat satis probabiliter prima sententia: nam privilegia supradicta solum concedunt Regularibus ut decimas solvere non teneantur de suis agris, vel de propriis prædiis: sua autem non sunt, aut propria, prædia conductiva, aut locata, aut emphyteutica; sicut domus à me locatò accepta non est mea, etiam si in illa habitem; ergo, & ita declaratur ab

Alexandro III. in cap. dilectio, de decimis, & sumitur ex cap. ex parte eodem tit. ergo licet hæc prædia locata, aut conducta propriis laboribus, aut sumptibus colant, decimas ex eis Ecclesiæ solvere tenentur: alias tot prædia alicujus territorij locari possent, ut omnino Parochiæ decimis sibi debitis defraudarentur. Ita Rebuff. de decimis, quest. 14. nu. 52. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 5. cap. 19. nu. 8. Falluiccius tract. 27. cap. 8. quest. 11. n. 184. Palao tractatu 10. disput. unic. punct. 12. num. 8. Barbosa de jure Ecclesiast. cap. 26. §. 3. n. 20. & in cap. Dilecti, de decim. Pellizzar. tom. 2. tract. 8. cap. 7. sect. 5. n. 175. §. Sed probabilius dicendum est, quod licet privilegia in corpore juris inserta non extendantur ad prædia conductiva, vel locata, aut in emphyteusim accepta (quod sanè probant, & non amplius fundamenta contraria) alia tamen extra Corpus juris concessa ad illa extenduntur. Accipe privilegium Martini V. quod adducit Garcia loco supra citato n. 12. ubi sic dicit: De quibuscumque possessionibus, & prædiis, quæ in presentiarum possidetis, & in futurum præstante Deo justis titulis poteritis adipisci, etiam si ea ab alijs conductiva; dum tamen illa vestris manibus, vel sumptibus excultu, seu pro sustentatione vestra exculti faciat, decimas quibusvis Ecclesiis, locis, aut personis solvere minime teneamini. Idem concessit fratribus de Guadalupe Gregor. XI. & Paulus III. anno. 1535. ut habetur in compend. D. Hieronym. titul. decimarum exemption. §. 12. & 15. & 16. Alia privilegia ab Authoribus hujus sententia

tiæ accipere potes, qui sunt: Fagundes de 5. *Eccles. precept. lib. 2. c. 4. num. 1* Antonius à Spiritu sancto *suprà n. 162* Garcia *num. 12.* Peyrin. *constitut. 2. Julij 11. §. 3. n. 133.* Leander à Sanctissimo Sacramento *de precept. Eccles. tract. 6. disput. 6. quest. 35. & 49.* Azor. *tom. 1. lib. 7. quest. 6. §. 3.* Joannes à Cruce *in epitom. status Relig. lib. 2. cap. 9. dub. 4. conclus. 2.* Et quando privilegium dicit, non solvant ex prædiis, quæ habent, ad emptitia, & conductitia etiam extendi docent: Raphael à Torre *2. 2. tom. 1. quest. 87. disp. 7.* Diana *10. part. tract. 12. & in miscel. resol. 50.*

Moniales exemptuntur à solutione decimarum.

78. Quarta difficultas est, qui Regulares dictis privilegiis exemptionis à decimis fruuntur? Respondetur, quod fruuntur eis in præsentiarum omnes exempti, etiam Moniales cujuscumque Ordinis; Tum, ob communicationem privilegiorum, quam *suprà cap. 1. num. 92.* diximus eas habere, quam prodesse in hoc casu *num. 73.* statuimus; Tum etiam quia sic concessit Monialibus S. Claræ Bonifacius VIII. Bulla 3. & Leo X. Bulla 23. & Clemens VIII. Paulus III. & Sixtus IV. ut refert Rodriguez *tom. 2. q. 44. art. 5. & tom. 3. quest. 34. art. 15.* & Pius IV. à solutione decimarum Moniales cujuscumque Ordinis exempti, ut inquit Sorbus *in compend. verb. decima:* & ferè omnes Ordines habere similia privilegia, testatur Lezana *tom. 5. in Mari magno Augustin. §. 73. num. 29. & in Mari magno Minimorum, num. 107.* refert quandam decisionem Rotæ in Monialium favorem, in qua decidi-

tur, decimas, quas coloni tenebantur solvere Parocho, teneri solvere Monialibus. Unde præter citatos tenent hoc ipsum Portel. *in dubijs Regul. verb. decima, num. 3.* Cruz *lib. 2. c. 9. dub. 4. conclus. 5.* Antonius à Spiritu sancto *num. 164.* Villalob. *tract. 33. difficult. 4. num. 5.* à Torre *2. 2. quest. 88. in princip. Barbof. lib. 3. de jure Ecclesiast. cap. 26. §. 3. num. 36. & in cap. ex parte 1. sub numero quinto, ubi plures decisiones Rotæ circa hoc adducit.*

79. Equites verò Ordinum Militarium, quos verò Religiosos diximus esse *tract. 15. c. 1. n. 4.* nimirum illi, qui absolutam vovent castitatem, ut sunt D. Joannis, omnibus Religiosorum privilegijs hæctenus recensitis fruuntur, ut est commune apud omnes. Illi vero, qui uxores ducere possunt, de quibus *loco citato* ex D. Thoma, & alijs probavimus non esse veros Religiosos, fruuntur privilegio exemptionis à decimis de prædijs, ac bonis suarum Commendararum, quæ sunt bona Religionis, quæ ipsi donare, legare, aut alio quovis modo alienare non possunt. Ita eis concessit Martinus V. in Bulla *Militantis Ecclesia.* Greg. XIII. anno 1578. in Bulla *Ex Apostolica.* Honor. III. Sixtus IV. & Leo X. ut testatur Tambur. *tom. 2. disput. 24. quest. 5. num. 79.* quæ non sunt revocata per *cap. nuper:* cum post illud plura prodierint, & praxis, ac consuetudo illud confirmet. At de bonis patrimonialibus, vel alio modo ipsis privativè competentibus, sive sint Equites Caltravæ, Alcantaræ, & Jacobi, sive quicumque alij, decimas tenentur sol-


vere Ecclesiæ, cui competunt. Tum, quia privilegia solum loquuntur de bonis Religionis. Tum, quia consuetudine sic jam habetur, à qua minime recedendum est. Et sic Diana 10. part. inter decisiones Rotæ, (quas in fine adducit) *decis. 7.* refert sic decisum fuisse à S. Rota in causa Tolotana decimarum 21. Junij 1649. ubi per sacram Rotam judicatum fuit quendam Equitem de Calatrava teneri solvere decimas de patrimonialibus propter possessionem, & consuetudinem continuam, & nunquam interruptam, quam Curati habent accipiendi decimas à talibus Militibus, qui non probarunt sufficenter hujusmodi consuetudinem interruptam fuisse. Sic Britus de Locato 1. part. cap. 2. n. 23. Llamas 3. part. §. 25. Themudus 1. part. *decis. 2. num. 63. & 3. part. decis. 260.* quos refert, & sequitur N. Antonius à Spiritu sancto tract. 2. *disputatione quarta, sect. 1. num. 175. & num. 180.*

Modi, quibus supradicta privilegia amittuntur, recensentur.

80 Ultima difficultas est, quomodo amittantur supradicta privilegia exemptionis à decimis? § Respondeatur primo, amitti per compositionem, aut conventionem, quæ conventio, & compositio consulti- tur, & approbatur in *cap. suggestum, cap. dilecti de decimis.* § Secundo per non usum, aut usum contrarium modo, & tempore, quo diximus *cap. 2. punct. 2.* deperdi, aut amitti per non usum privilegia. Sed notandum est hujusmodi privilegia non deperdi alicui Monasterio, etiam per non usum illorum in ipso; si in aliis Mo-

nasteriis ejusdem Ordinis, cui illa concessa sunt, fuerint in usu: nam per usum aliorum Monasteriorum, jus illius Monasterij præservatum censetur. Sic Lezana tom. 3. *verb. decime, num. 9.* Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 15. quest. 18. n. 37.* ex varijs Rotæ decisionibus, & Panormitano, § Tercio si talia privilegia incipiant esse enormiter nociva Ecclesiæ, taliter, quod pro Ministris Ecclesiæ congrua non maneret sustentatio: quia ista ex jure Divino debetur; nec Pontifex privilegium potest concedere in præjudicium ejus *cap. Quid personale, de verb. signif. cap. dilecti, de decimis,* & ibi Glossa *verb. enormiter,* & omnes. Cæterum in dicto casu, quo privilegium cedat in enormem læsionem Ecclesiæ, non amittunt illud Religiosi ipso facto, nisi enormitas læsionis sit clara, & evidens: si vero non est clara, sed dubia recurrendum est ad Pontificem tanquam ad privilegii Authorem, ut declaret an privilegium enormiter lædat, vel non: nisi ad evitandas lites religiosi componantur cum parte læsa, quod melius erit. Barbof. *lib. 3. cap. 26. §. 3. num. 45.* Suarez *tomo primo, de Relig. tractatu secundo, libro primo, cap. 20. numero secundo, Filiucci tract. 27. cap. 8. q. 10. n. 185.* Palaus *suprà punct. 13. num. 2.*

PUNC.



## PUNCTUM III.

De privilegio immunitatis concessio Regularium Monasterijs, Ecclesijs, ac domibus.

Privilegium immunitatis, non ex jure divino, aut naturali; sed ex jure humano habetur,

81. **H**Oc privilegium non solum expeditum est pro Ecclesijs, ac domibus Regularium; sed etiam pro quibuscumque alijs locis sacris, ac Deo dicatis, ut in eis divina peragantur: & sic de omnibus hoc puncto loquimur. Nomine immunitatis illud privilegium intelligimus, quod habent Ecclesijs fidelium, & domus Regularium, ut sint loca refugij, & quasi asyla eorum, qui commisso aliquo delicto, ad ipsas confugiunt, ne capiantur, incarcerationentur, & puniantur. Talis immunitas ex jure divino aut naturali non habetur; sed ex jure positivo Ecclesiastico, ac civili. Non quidem ex jure divino positivo: nam nullibi in sacra Scriptura habetur: nec ex divino naturali; quia actio extrahendi ab Ecclesia facinorosum, ut delicta puniantur ex se justa est, cum ad justum finem ordinetur; & sic secluso alio jure positivo licita: proindeque talis immunitas delinquentibus jure Divino naturali indubita est. Cæterum jus positivum, ut fideles majorem venerationem in loca sacra conciperent, statuit merito, minimè licere ad sacrosanctas Ecclesias confugiens violenter abducere: nec ob id Ecclesia sceleratis favore intendit, sed ut pia mater miseris, &

jam in delicta lapsis, misericordiam impertiri. Ob idque talis immunitas jure civili conceditur in C. toto titulo de his, qui ad sacrosanctas Ecclesias confugiunt. Et jure Canonico, cap. inter alia, cum pluribus alijs, de immunitate Ecclesiastica, cap. frater, cap. minor, cap. reum, cap. statuumus, & alijs 17. quest. 4. & in Tridentino confirmata est sess. 25. cap. 20. & à Gregorio XIV. in sua Constitutione incipiente: Cum alijs nonnulli. edita 22. Maij anno 1591. Quod est conforme juri divino veteris legis, in quo & signatæ erant civitates refugij pro delinquentibus: & ipsam Salomonicum templum tali fruebatur privilegio, prout probabiliter colligitur ex lib. Exodi 21. & 3. Regum 1.

82. Cum ergo talis immunitas ex jure divino non habeatur, contra illud prævalere potest consuetudo, ad quam multoties Authores recurrunt, pro aliquibus casibus particularibus, si talis consuetudo legitima sit, id est, toto tempore non interrupto ad eam introducendam necessario continuata, & cæteras habeat qualitates requisitas in cap. fin. de consuetud. ad abrogandam legem Ecclesiasticam, aut contra Ecclesiam præscribendam, de quibus latè egimus tom. 3. de justitia, tract. 11. de legibus, cap. 6. à nu. 9. Sed omnes consuetudines ante Concilium Tridentinum, & Constitutionem Gregorij XIII. adversus immunitatem Ecclesiarum introductæ, sublatae sunt per Concilium sess. 25. c. 20. & per dictam Gregorianam Constitutionem: & sic attendendum est, an post Concilium ubi recep-

preum est, & dictam Gregorianam Bullam ubi talis est admilla, & observata (quod ferè ubique esse, omnes infra adducendi Authores asserunt, aut supponunt) introducta sit aliqua consuetudo pro his, vel illis usibus particularibus. Farinacius in *appendic. de immunit. cap. 2. num. 5.* Qui bene advertit, quòd cum sit quid facti, consuetudo; non est in aliquo casu præsumenda; nisi legitime probetur: nec credendum est Doctoribus de consuetudine testantibus, extra locum ubi degunt.

Amplius est privilegium immunitatis.

83. Illud ut certum judicamus, quòd hæc immunitas cum omni est amplitudine interpretanda, urpote causa pia, & favorabilis Ecclesiæ, & privilegium per modum legis in jure communi insertum, quòd saram recipit interpretationem; maxime cum nemini in particulari præjudicet. Sic Alexand. Ambros. *de immunit. Eccles. cap. 10. n. 7. vers. ac etiam.* Farinac. *in Appendic. c. 2. n. 21.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 1. n. 2.* Castro Paulus *tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 5. n. 3.* Quæ interpretatio fieri debet non juxta jus civile, (nisi in rebus in quibus immunitati faver, & ob id est ab Ecclesia receptum,) sed Canonicum: quia concernit materiam Ecclesiasticam, in qua jus civile nullam habet jurisdictionem, nisi ad fovendam dispositionem juris Canonici. § Quibus sic in communi statutis, ut materiam aded necessariam, & controversam, ac ex se obscuram clariori stylo declaremus, punctum hoc in sex dividemus §§. In primo agemus de locis, quibus talis immunitas

competit. In secundo de personis, quæ hoc frui possunt privilegio. In tertio de delictis, ratione quorum talis immunitas amittitur. In quarto de effectibus, quos talis immunitas secum affert. In quinto de peccato, quòd illius violatores committunt, & pœnis contra illos sancitis. In sexto de modo, & ordine servando in tradendis delinquentibus, qui ad Ecclesiam confugiunt, illisque defendendis, quando ipsis suffragatur immunitas.

§. I.

*Quibus locis sacris hoc privilegium immunitatis conveniat?*

84. **I**n primis omnes Ecclesiæ consecrata, quæ loci sacri merito nomen accipiunt, tali gaudent immunitatis privilegio, & omnes alix Ecclesiæ benedictæ; quia etiam sunt loca sacra, religiosa, & perpetuo Deo dicata. Etiam Ecclesia non consecrata, aut benedicta, si obsequiis divinis dicata sit, & in ea divina officia celebrentur, ut habet expressè textus in *cap. Ecclesia, de immunit. Eccles.* Sed in Ecclesiis sæcularibus requiritur, quòd autoritate Episcopi sint erectæ, & fundatæ: in Regularibus autem id non est necessarium; cum in aliquibus casibus possint Prælati ex privilegio, in eis primum lapidem imponere, easque benedicere: quæ proinde cum Deo loca sacra sint, nullis temerariis artibus profanan-

Ecclesia consecrata, benedicta, & divinis deputata gaudet immunitate.

da, gaudent prædicta immunitate. Layman. lib. 4. tract. 9. cap. 3. n. 2. Lezana tom. 2. verb. Ecclesia, nu. 5. & 9. & verb. immunitas, n. 2. Bordon. tom. 2. resol. 1. n. 2. Peyrin. cap. 4. num. 62. § Nec ad hoc requiritur, quod in ea Ecclesia Eucharistia servetur: quia talis conditio neque in cap. Ecclesia, neque in aliis assignatur, sed in qua Divina mysteria celebrantur: Sufficit ergo, quod talis locus sit ad divina celebranda assignatus: tamen in eo Eucharistia præsentia non habeatur. Farinac. in Appendic. de immunit. cap. 17. num. 254. Palaus supra punct. 6. num. 2. § Nec requiritur, quod de facto divina in ea celebrentur, sed sufficit si celebrari possim: quia hoc ipso est locus religiosus divinis obsequiis dicatus: ideoque si sanguinis, aut seminis effusione polluat, reconciliatione indiget, cap. si Ecclesia, de consecrat. Eccles. Farinac. num. 258. Suar. tom. 1. tract. 2. de relig. lib. 3. c. 9. num. 2. Azor. p. 2. lib. 9. cap. 8. à nu. 2. Bonac. disp. 3. de 1. decalogi præcept. q. 7. §. 2. n. 2.

Extensio-  
nes  
supradi-  
ctæ do-  
ctrinæ.

85. Extenditur hoc privilegium ad Ecclesiam non perfectè constructam, in qua adhuc divina celebrata non fuere, si tamen constructio continuatur: quia hoc ipso, quod ad divina celebranda cœpta sit erigi, est locus divinis obsequiis deputatus. Abbas in cap. Eccles. de immunit. num. 5. Pellizzar. tract. 8. c. 5. sect. 1. numer. 4. Farinac. num. 261. Lezana verb. immunitas, num. 2. Sylvest. immunitas 1. num. 2. Bordon. resol. 1. n. 2. Palaus num. 5. § Extenditur etiam ad Ecclesiam interdictam, & pollutam, quæ

nec ob interdictum, aut pollutionem immunitate privatur, nec ob id definit esse locus sacer; nec jure habetur talis effectus pollutionis, aut interdicti, quod propterea hoc privilegio privetur locus cæteroquin immunit. Suarez num. 6 & 9. Bonacin. §. 1. n. 3. Layman. num. 2. Lezana num. 2. Palaus num. 5. & 6. § Extenditur etiam ad Ecclesiam dirutam, aut destructam: quia ratione loci, in quo ædificata erat, non definit esse sacra, nisi auctoritate superioris sit penitus eversa absque spe reedificationis: quia jam tunc definit esse locus sacer, fitque profanus. Lezana num. 2. Barbosa de jure Eccles. lib. 1. c. 3. num. 62. Tuschus verb. Ecclesia, concl. 9. nu. 10. Sanchez de matrimon. lib. 9. disput. 15. num. 37. § Et non solum gaudet Ecclesia hac immunitate quoad totum corpus, & ambitum internum Ecclesie; sed quoad totam ejus fabricam internam, & externam, ita ut complectatur Capellas, sacristiam, parietes, turres, &c. quia est favorabile privilegium, & ampliandum. Et omnia hæc in lata Ecclesie significatione clauduntur, l. pateant, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. ibi: Quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, balneis, atque porticibus confugas interioris templi vice tueatur. Idem habetur cap. Frater, cap. si quis in atrio 17. q. 4. Tuschus verb. Eccles. conclus. 9. num. 3. & verb. immunitas, concl. 59. n. 5. Bonacin. §. 2. num. 5. Suarez à numero sexto. Palaus num. 8. § Et sic confugiens ad atrium, vel portam Ecclesie, etiam si clausa sit, securus erit, & in ipsa scala, seu gradibus atrii,  
ex

ex declaratione sacrae Congregationis, quam adducit Barbofa *supra nu. 66. Bordon. tom. 2. resolut. 1. num. 2.* Similiter existens supra tecta Ecclesiae; quia verum est eum in Ecclesiae situ existere: nam Ecclesia, sicut & quaelibet alia domus ex solo, & tecto, ejusque superficie concava, & convexa constat. Unde sicut Sancti dicuntur esse in caelo, licet non circumdantur ab eo, sed solum superficiem pedibus tangant; sic confugiens ad Ecclesiam, in Ecclesia dicitur esse, etiam si supra tectum, aut turrim ejus existat. Farinac. *in Appendic. de immunit. cap. 17. n. 372. Suarez nu. 9. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 4. Bonacina num. 5.* § Similiter in atrio Ecclesiae, claustrum, porticum, ambitum, dormitorio existens securus erit: quia vel sunt de fabrica Ecclesiae, vel Ecclesiae connexa, *cap. si quis in atrio, cap. frater. cap. si quis contumax 17. quaestione 4.*

Qualiter  
intra 40.  
passus  
per circuitum  
Cathedralis, &  
aliarum  
Ecclesiarum  
per  
30. immunitas  
habeatur.

86. Et talis immunitas etiam extenditur ad confinia Ecclesiae, *cap. si cut antiquitas, cap. diffinitur 17. quaest. 4. & ex l. praesenti, C. de his, qui, &c. Normaine* autem confinium intelligitur pro Ecclesia Cathedrali, seu majori, spatium 40. passuum per circuitum ejus; pro minoribus spatium 30. ut in praedictis textibus habetur: qui passus ab ostio Ecclesiae, vel muro ejus enumerari debent: & quilibet passus constat ex 5. pedibus, & pes ex 15. digitis. Farinacius *cap. 18. à nu. 286. Suarez lib. 3. cap. 9. n. 8. Sanchez tom. 3. consilior. moral. l. 6. cap. 1. dub. 7. num. 3. Lezana verb. immunitas, nu. 3. Sylvester eodem verb. 3. num. 1. Tu-*

*schus verb. Ecclesia conclus. 9. & 19. & verb. immunitas conclus. 59. Navar. in manual. cap. 25. num. 18. Palaus punct. 6. num. 11.* § Et etiam domus Patrochorum, vel Clericorum intra praedictos 40. vel 30. passus positae gaudent praedicto immunitatis privilegio *ex cap. quisque 17. quaest. 4.* ut testantur Navarr. Bonacin. Sanchez, & Lezana. § Sed haec limitanda sunt, Primò ut intelligantur de circuitu Ecclesiae non discontinuato, sed continuo. Unde si discontinuetur per domum alicujus saecularis, vel per viam publicam intra praedictum spatium existentem, non talis domus, aut via tunc gaudet tali privilegio, *cap. diffinitur 17. quaest. 4.* ubi dicitur in hoc triginta passuum numero absque domorum extraneorum receptaculo progrediendi aditum obtinebunt. § Secundò ut intelligantur de Ecclesiis, quae sunt extra murorum civitatis ambitum, non de Ecclesiis, quae intra muros civitatis, aut villae continentur, *cap. quisquis 17. quaest. 4.* ibi: *Capella, quae sunt intra ambitum murorum, castellorum, non ponuntur in hac 30. passuum observatione.* Et tradit Glossa *in cap. antiquitas, verb. passus 17. quaest. 4.* Farinacius *num. 290. Bonacin. § 2. num. 5. Pellizzar. num. 4.* § Tertio, ut procedant de eo, qui jam ad Ecclesiam confugit, & ex illa progreditur per 30. vel 40. passus; non de illo, quem Ecclesia nondum recepit, *cap. diffinitur 17. quaest. 4.* & talis progressus debet esse ad requisitum naturae usum, v. g. ad exonerandum ventrem, si non sit alius locus

cus opportunus intra terminos immunitatis, ubi: *Qualiter ad requisitum natura usum debitus exeat locus, & nullo teneantur eventus necessitudinis, qui Dominicis se defendendis commiserunt claustris.* § Quarto, ut dicta intelligantur de jure communi antiquo, non verò secundum consuetudinem, quam esse omnino in contrarium, non potest negari, cum id multi Auctores de illa testentur. Suarez tom. 1. de Religione, lib. 3. c. 9. num. 8. Covar. lib. 1. variar. c. 20. num. 5. Bonac. n. 5. Sanchez ubi proximè lib. 6. cap. 1. dub. 7. Navar. in summ. cap. 2. 5. numer. 18. Pellizzar. num. 4. Palaus punct. 6. n. 15. Farinac. de carceribus, questione 28. num. 12.

Xenodochia, Oratoria, & domus Episcopalis fruantur hoc privilegio.

87. Exenditur deinde hoc privilegium, ad hospitalia auctoritate Episcopi erecta, si in eis sit Capella, ubi divina celebrantur, cap. de Xenodochiis 3. cap. ad hac 4. de religiosis domibus. Item ad Oratoria auctoritate Episcopi constructa; non verò ad ea quæ privata auctoritate erecta fuerint: quia quæ privata auctoritate eriguntur, etiam privata auctoritate converti possunt ad usus profanos, etiam si delicta Episcopi in eis celebrantur: ergo non sunt loca sacra, quæ semel dicata divino cultui, non possunt privata auctoritate redire ad usus profanos, cap. ad hac citat. Pellizzar. num. 5. Fagundez 2: precept. Eccl. lib. 4. c. 4. n. 64. Covar. lib. 2. variar. cap. 20. n. 4. Suarez cap. 9. num. 10. Palaus punct. 6. num. 19. Farinacius in Appendic. de immunit. c. 17. n. 267. Qui rectè docent, tunc censei Oratorium auctoritate Episcopi erectum:

cum vel in eo Divina celebrantur omnibus ad ea audienda indifferenter admittis, vel cymbalum pendeat super lectum, & publicè pulsetur. Quia cum non concedatur hæc cymbali pulsatio privatis Oratoriis, cap. patentibus, de privileg. præsumitur auctoritate Episcopi erectum, illud, in quo fuerit, & pulsabitur cymbalum. § Extenditur etiam ad cæmeterium Ecclesiæ cap. final. de immunitate Ecclesiæ. Quod non solum intelligitur de cæmeterio contiguo Ecclesiæ; sed etiam de separato, quod destinatum est ad sepulturam fidelium: quia hoc ipso præsumitur benedictum esse, & auctoritate Episcopi consecratum. Farinacius cap. 17. num. 264. Lezana verb. cæmeterium, num. 3. & verb. immunitas, num. 2. Palaus tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 6. num. 2. § Extenditur etiam ad tabernaculum sanctissimi Sacramenti, & ad sacerdotem Eucharistiam portantem: ad quem si reus confugiat, securus erit: quia licet hoc non habeatur ex jure, consuetudine tamen introductum est, quæ pietati favet, & devotioni, atque reverentiam erga hoc venerabile Sacramentum excitat. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 4. Suarez lib. 3. c. 8. n. 10. Farinacius c. 17. n. 275. Layman. lib. 4. tract. 9. c. 3. num. 4. Lezana verb. immunitas, num. 2. Tuschus verb. Ecclesia, conclusione 10. num. 33. § Extenditur etiam ad domum, vel palatium Episcopi, cap. id constituimus 17. qu. 4. & hoc etiam si Episcopus absens, vel mortuus fuerit, dummodo aliis non sit locata domus. Farin. c. 17. n. 270. Palaus punct. 6. num. 20. & hoc etiam;

amfi domus ejus intra spatium 40. passuum per circuitum Ecclesie Cathedralis non existat : quia in dicto capite expresse, & sine ulla limitatione domui Episcopali hoc conceditur privilegium. Lezana num. 2. Bonacin. numer. 8. Navarr. in manual. c. 25. n. 8. Suar. c. 9. n. 9.

Quo- modo Mona- steria quoad omnia illorum loca, hoc fruuntur privile- gio?

88. Denique hoc extenditur privilegium, non solum ad Ecclesias regularium secundum totum earum ambitum interiorem, & exteriorem: sed etiam ad domus, & Monasteria eorum secundum totum ambitum, ut comprehendit claustra, sacristiam, dormitoria, officinas, hortos, viridaria, &c. quia licet hæc ad effectum pollutionis, & violationis non reputentur loca sacra, & Religiosa, bene tamen ad effectum immunitatis, tanquam Ecclesie adhæreant, ut habetur in *ap. si quis contumax, cap. frater, cap. Minor 17. quest. 4. & l. pateant, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. Rodriguez tom. 2. quest. Regular. quest. 75. art. 2. Diana p. 6. tractat. 1. resolut. 6. Pellizzar. num. 4. Bordon. resolut. 1. num. 6. Palau punct. 6. num. 18. Fatim. de immunit. quest. 28. num. 268. Unde si quis confugiens ad Monasterium profiliat intra muros illius, etiam in atrio Monasterii erit immunis, *cap. si quis, cap. desinivit, cap. id constitutum 17. quest. 4.* est autem atrium prima pars domus, in quam collecta ex omni recto pluvia descendit. Etiam porticus constructa ante Ecclesiam, tali gaudet immunitate, *cap. si quis contumax 17. quest. 4.**

¶ Etiam domus nova, seu habitatio in recenti domo contigua Ecclesie

inceptæ pro Religiosis fabricari, gaudet hac immunitate, quamvis ibi unus Religiosus solus habitet pro fabrica, nec clausura sit adhuc designata. Tum: quia fabrica cepta profinita habetur in favorabilibus. Tum etiam: quia in hoc comparatur Ecclesie, que quoad hoc sufficit, ut sit cepta fabricari, ut diximus numero 86. & in presenti tenent Bordon. *tom. 2. resolut. 1. numer. 7. Pellizzar. numer. 7.*

§. II.

Qua persona prefato gaudeant immunitatis privilegio?

89. Dicendum est omnes fideles cujuscumque conditionis existant, & quantumvis gravia delicta commiserint, si ad loca sacra supra recensita confugiant, gaudent immunitate Ecclesie, præterquam in casibus in jure exceptis, de quibus sequenti §. dicemus, ut constat ex *cap. inter alia. de immunit. Eccles. cap. frater, cap. minor, cap. si quis contumax, 17. questione quarta.* Unde interdictus ab ingressu Ecclesie, suspensus, vel etiam excommunicatus; hac gaudet immunitate: quia neque interdictum, nec excommunicatio habent effectum istum in jure, privandi immunitate (non enim privant ingressu materiali Ecclesie, sed tantum formali ad assistendum divinis officiis, cum tamen immunitas loco ipso sacro materiali conveniat)

Excom- muni- catus, in- terdi- ctus, & omnes fideles hac pos- sunt im- munita- te gau- dere.

LII 3 cum;

cumque alias excommunicatus ex se sit indignus hoc beneficio; tanto majorem Ecclesia ostendet pietatem, si illum tueatur, & defendat: neque enim in ejus defensione attendit ad delictum, & excommunicationem incursum, sed ad loci sanctitatem, & reverentiam. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 28. Diana part. 6. tract. 1. resolut. 26. Lezana verb. immunitas, n. 5. Sylvester eodem verbo 3. quest. 3. Navar. in manuali, cap. 25. num. 19. Suarez tom. 1. lib. 3. cap. 10. numer. 4. Palaus tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 7. num. 2. § Neque etiam hoc privatur privilegio hæreticus, si ob alia crimina quam hæresis (nam quo ad hæresim excluditur ab Ecclesiæ immunitate, ut § sequenti dicemus) puniendus esset: quia Ecclesia solum hæreticum, ut talem, privat hoc privilegio; non quia homicida, non quia latro, &c. sed quia hæreticus est: ad quam hæresim per accidens se habent alia crimina. Bonacina disp. 3. q. 7. §. 3. Suarez num. 13. Palaus num. 4. Sylvester, & Lezana locis citatis; licet oppositum sit satis probabile.

Quo- modo infideli- bus im- munitas Ecclesiæ suffrage- tur? 90. Sed sunt aliquæ difficultates enodandæ. Prima, an immunitas Ecclesiæ profit infidelibus, nimirum Judæis, Sarracenis, Idololâtris, &c. Affirmat prima sententia: quia in cap. Inter alia, cap. minor. cap. frater, cap. si quis intusus, cap. si quis contumax, 17. quest. 4. omnibus indistinctè conceditur hoc privilegium, eò quòd non personis, sed loco, & ratione illius personis capacibus conceditur. Cum ergo infideles capaces sint hujus indulti, asserendum est illis suffragari

Glossa, & Innocentius in cap. Inter alia, de immunitate Ecclesiar. verbo extrahendus. Sylvester in sum. verb. Immunitas 3. n. 2. versu secundum de pagano. Tabien. eod. verb. n. 3. Armilla num. 9. Diana p. 1. tract. 1. resolut. 22. § Secunda sententia absolutè negat: Tum, quia de his, qui foris sunt non curat Ecclesia: unde sicut nec potest illos judicare; sic nec defendere. Tum etiam, quia leges Civiles servandæ sunt, quoties Canonicis non contradicunt: sed nulla Canonica lex disponit de infidelibus, quod gaudeant, vel non immunitate: ergo standum est legi civili in l. i. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. Ubi infideles, qui baptizati non sunt, excluduntur ab Ecclesia, si ad eam confugiant. Sic Farin. in Appendic. de immunit. c. 5. num. 71. & 79. Covar. 2. variarum c. 20. num. 11. Joannes Gutièrrez lib. 3. pract. quest. civil. q. 7. n. 51. § Sed dicendum est infidelem ad Ecclesiam confugientem gaudere immunitate illius, si verè velit converti, secus autem si nolit, aut simulat se converti velle. Utraque pars utriusque sententiæ relatæ argumentis probatur: & insuper, quia dignum est, ut Ecclesia defendat eum, qui illi servire cupit, & abjiciat qui tenuit. Tunc autem verè, non simulatè converti velle censendus est infidelis, si ante patratum delictum, vel conceptum judicis timorem petiit baptismum, aut dedit signa conversionis: quia tunc confugiens, petensque baptismum, non censetur simulatè petere, sed ex animo, ex illaque voluntate, qua ante baptismum desiderabat, non ex animo

mo vitandi pœnam, & securus in Ecclesia existendi, cujus contrarium censendum est de eo, qui antea nec baptismum petierat, nec signa dederat conversionis, ut clarè videtur de cidi in dicta l. 1. c. de his, &c. Lezana tom. 2. verb. immunitas, n. 5. Pellizzar. tract. 8. c. 5. sect. 1. num. 26. Layman. lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 12. Bonac. quest. 7 de immunit. §. 3. nu. 5. Palaus sup. punct. 7. num. 7. & 8. & ita declarasse sacram Congregationem refert Barbol. de jure Eccles. lib. 1. capite 3. numero 44.

confugere ad Ecclesiam, & sic debet gaudere illius immunitate. Et idem dicimus de damnato ad mortem, si cum ducitur ad supplicium, è manibus ministrorum se eximeret, & ad Ecclesiam confugeret. Guierrez practico. quest. civil lib. 3. quest. 4. n. 10. & quest. 6. num. 4. & 5. Pellizzar. nu. 33. Tuschus verb. Eccles. conclus. 10. num. 21. 22. & 30. Palaus punct. 7. n. 11. & 12. Fatinac. in appendic. de immunit. c. 15. n. 196. & 197.

92. Tertia difficultas est an Clerici, Religiosi respectu suorum Prælatorum gaudeant prædicto immunitatis privilegio? Dicimus respectu suorum Prælatorum; nam respectu judicium sæcularium, haud dubium est, cum ab eorum sint jurisdictione exempti: & sic duplici titulo nequeunt ab eis ex Ecclesia extrahi, scilicet ratione immunitatis loci, & ratione immunitatis personæ. Unde si ob aliquod gravissimum crimen personali immunitate exempti fortè non essent, sed possent à judice sæculari capi, si tale delictum non esset de exemptis in jure, quæ §. sequenti recensimus, ratione loci essent immunes sicut alii; ne ipsi deterioris conditionis sint, ac sæculares. Maximè, quia in eo casu tanquam sæculares judicantur, qui ex vi delicti Curia sæculari traduntur: & ex ejus potestate nihilominus elabuntur per hoc, quòd confugiant ad locum Ecclesiasticum à immunitate gaudentem. Sic citandi pro utraque sententia Authores. Adhuc autem respectu suorum superiorem, gaudere immunitate suarum, & aliarum Ecclesiarum, necnon & alios

Prodesse Clericis, & Religiosis immunitatem Ecclesiæ comparatione ad suos Prælatos aliqui dicunt.

An, si in carceratus fracto carcere, ad Ecclesiam cõfugiat, illi proficit ejus immunitas?

91. Secunda difficultas est, an si incarceratus fracto carcere ad Ecclesiam confugiat, illi proficit ejus immunitas? Respondetur affirmativè: quia in dictis juribus omnibus prodest immunitas, præterquam in casibus exceptis: sed fractio carceris, exitusque ab illo non est delictum exceptum ut §. sequenti videbimus: ergo, &c. Secus autem dicendum est de illo, quem Ministri, per locum sacrum, comprehensam ducerent ad carcerem, cui loci immunitas non prodest; quia ipse non confugit ad Ecclesiam, sed per eam vincetus trahitur. Lezana num. 19. Pellizzar. n. 33. Tuschus verb. Ecclesia, conclusione 10. num. 3. & conclus. 11. num. 28. Suarez cap. 11. num. 18. & 19. Bonacin. §. 2. num. 10. Palaus punct. 7. num. 10. At si captus à Ministris justitiæ, ex eorum se eripiat manibus, & ad Ecclesiam confugiat, gaudet illius immunitate: quia jam positus in libertate, ad Ecclesiæ patrocinium accessit: & hoc etiam si per vim secum ministros raperet; quia semper verum est illum

rum monasteriorum, præter sua, & cæterorum locorum factorum, si ad ea Clerici, aut Regular es confugiant, etiam si apostatae sint, aut si alia crimina perpetrarunt, ita ut ab eis extrahi, & puniri à suis Prælati non possint, præterquam in casibus exceptis, tenet prima sententia, quæ probatur. Primò: Quia jura, quæ de immunitate loquuntur, generaliter, & absque ulla limitatione ad sæculares, loquuntur: ergo non debent Clerici, aut Religiosi ab eo privilegio excludi, aliàs essent quoad hoc deterioris conditionis, quàm laici. Secundo: quia hoc privilegium non conceditur personis, sed locis, seu personis propter loca: sed locus est communis tam Clericis, quàm laicis, imo magis proprius Clericorum: ergo omnibus in eo existentibus respectivè ad suos superiores prodest immunitas, & maximè Ecclesiasticis: quia Ecclesia multo magis tueri debet domesticos suos, quàm alios quoscumque extraneos. Sic Farinac. de carceribus, quæst. 2. à num. 7. & in appendic. de immunit. cap. 2. num. 16. Bordon. tom. 2. resolut. 1. num. 18. Tuschus verb. Ecclesia, concl. 9. num. 17. & conclus. 11. num. 27. Gutierrez supra quæst. 3. num. 1. Barbosa, de jure Eccles. lib. 1. cap. 3. n. 137. & in collect. Bullar verb. immunitas, affert declarationem S. Congreg. Episcop. & Regul. tenoris sequentis: Immunitate Ecclesiastica gaudere debent Clerici, qui post delicta patrata, ad Ecclesias confugiunt, extra casus in Bulla Gregorii XIV. comprehensos, cum in hoc casu Abbatu opinio communiter sit reprobata. Aliam declarationem refert Diana 5.

part. in collect. harum declarationum; in qua dicitur non posse extrahi Clericos, præterquam in casibus degradatione dignis.

93. Cæterum licet hæc sententia probabilissima sit, & stando in rigore juris verissima, maximè suppositis dictis declarationibus sacre Congregationis, quæ procul dubio secundum rigorem juris communis loquuntur: nihilominus oppositum tenendum est secundum tenorem Bullæ Gregorii XIV. de qua diximus & s. sequenti dicemus latius, in qua hoc privilegium ad laicos limitatur: nam ibi dicitur: *Ut laicis ad Ecclesias, locaque sacra confugientibus, &c.* (& ideo licet sit hoc privilegium locis concessum, est comparatione ad iudices sæculares, non ad Ecclesiasticos,) & maximè secundum rationabilem, & ferè communem, receptamque consuetudinem, oppositum tenendum est; passim enim videmus iudices Ecclesiasticos, & Prælatos, delinquentes Clericos, & Religiosos ab Ecclesiis extrahere, & in carceribus recludere absque ullo scrupulo: nec ullus est ex reis, qui immunitatem proclamet, aut ratione illius se defendere prætendat. Tum: quia alias raro posset superior Clericorum, aut Regularium delicta punire, cum in Monasteriis, & Ecclesiis regulariter existant. Tum etiam: quia decens est ita fieri, quod sicut Princeps secularis potest exercere suam jurisdictionem in locis secularibus sibi subiectis; ita etiam, quod Prælatu Ecclesiasticus eam possit exercere in locis sibi subiectis, qualia sunt Eccle-

Clerici  
& Religiosi  
in Ecclesiis  
extrahi  
possunt  
à suis  
Prælati

112

siæ; ac proinde ex illis extrahere subditos. Nec in hoc læditur Ecclesiæ immunitas, cum non extrahatur Clericus contra voluntatem Ecclesiæ, sed juxta illam; & non nisi tunc immunitas lædatur, quando reus extrahitur contra voluntatem, & reverentiam debitam Ecclesiæ; quod etiam probatur exemplo immunitatis personalis, qua fruitor Clericus, quæ solum intelligitur respectu judicis secularis, & sic solum læditur si ab hoc vel capiatur, vel puniatur; non verò si à judice Ecclesiastico, & ab Ecclesia ad ejus punitionem constituto castigetur. Idem dicimus de immunitate Ecclesiæ locali, quæ solum læditur, si à judicibus secularibus contra voluntatem Ecclesiæ, delinquens extrahatur; non verò si à judicibus ab Ecclesia constitutis, pro suorum domesticorum punitione, extrahantur illi, quos extrahere possunt à locis sacris, cum utantur Ecclesiastica potestate, quæ extendi potest sicut ad personas Ecclesiasticas, ita etiam ad loca Ecclesiastica. Sic tenent Suarez tom. 1. de Religione, tract. 2. lib. 3. cap. 10. num. 5. & 8. Palaus tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 7. num. 17. Bonacin. disput. 3. de 1. decalog. praecept. quest. 7. de immunit. resolut. 56. num. 5. Layman. lib. 4. tract. 9. c. 3. numer. 11. Decian. tract. crimin. lib. 5. cap. 28. à num. 14. Sanchez lib. 6. consilior. cap. 1. dub. 8. n. 6. Sylvest. verb. immunitas, num. 7. Portellus in compend. versu Ecclesiar. immunitas, resol. 56. num. 5. Armilla verb. immunitas, num. 10. Rossella eodem verb. num. 9. Lezana tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 73. & tom. 2.

verb. immunitas, num. 6. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 29. Rodriguez tom. 2. quest. Regul. quest. 50. art. 4. Genuens in praxi Episcop. cap. 22. n. 11. pag. 74. & alii.

94. Quarta difficultas est, an supradicta immunitas prosit in causa civili? ut cum debitor à creditoribus timet comprehendi, & in carcerem trudi, an si talis debitor ad Ecclesiam confugiat ab ea extrahi non possit? § Affirmativè respondendum est, quidquid alii dicant, Tum, quia hoc ipso, quòd hæc immunitas delinquentibus, & reis jure Canonico concedatur, censetur etiam debitoribus concessa; aliàs Ecclesia nocentibus faveret, & innocentes excluderet. Tum etiam, quia licet jus Canonicum reos dicat non esse extrahendos, & reorum nomine propriè delinquentes intelligantur, etiam debitores possunt intelligi, qui sunt rei in judicio: & cum hoc sit privilegium favorabile, secundum latitudinem suæ significationis debet extendi. Tum denique: quia jure civili in l. presenti, l. ultim. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, expressè hæc immunitas etiam debitoribus conceditur. Quæ leges, & constitutiones civiles cum non præjudicent, sed potius extendant, & augeant immunitatem Ecclesiæ, ab Ecclesia sunt receptæ, & approbatæ, necnon pro Canonicis habitæ, cap. inter alia, de immunit. Eccles. & in Trident. sess. 25. cap. 20. atque ita tenent Abbas dict. cap. inter alia, num. 22. Suarez lib. 3. cap. 11. num. 3. Farinac. de carcerib. quest. 28. num. 21. & in append. de immun. cap. 3. nu.

In causa civili prodest immunitas Ecclesiæ confugientibus ad illam.

§ 7. Lezana verb. *immunitas*, num. 16. Guttier. *practic. quest. civil. lib. 3. quest. 1. per totam*. Pellizzar. n. 34. Palaus punct. 8. num. 1. Bonacin. §. 4. num. 1. & ita declarasse Sacram Congregationem in una Contr. 21. Julii 1627. & in alia Benevent. 10. Maii 1619. testatur Lezana *loc. cit.*

Negotiatores falliti, etiam fraudulentos decoctores immunitate non privantur.

95. Quæ doctrina extenditur etiam ad negotiatores fallitos, seu fraudulentos decoctores, illos nimirum, qui exercentes quæstuariam negotiationem lautè, & opiparè vitam degunt, & postea cum non possint creditoribus satisfacere, ad Ecclesiam confugientes, plures creditores miserimè fallunt. His non prodesse immunitatem Ecclesiarum statutum est à Catholicis Regibus nostris Ferdinando, & Elisabetha, & postea à supremo Imperatoris Caroli V. Senatu confirmatum, ut testatur Covarr. 2. *variæ. cap. 20. num. 14.* quia hi videntur esse hostes reipublicæ, & quasi publici latrones, qui ut dicemus §. *sequenti*, non gaudent Ecclesiæ immunitate. Sic ipse, & plures ab eo citati: Sed hoc post Gregorianam Constitutionem sustineri non potest: quia in illa revocantur omnia privilegia, & indulta data principibus extrahendi delinquentes ab Ecclesia, & nominatim fraudulentos decoctores. Et ratio est: quia tales non privantur immunitate, neque ratione debiti; aliàs omnes debitores essent immunitate privati: neque ratione delicti: quia non sunt depopulatores agrorum, aut latrones publici, qui stratas vias obsident, quos ab Ecclesia excludi dicemus §. *sequenti*. Et licet

publicis latronibus æquiparentur, in privatione tamen immunitatis æquiparari non possunt, quia odiosa est præjudicans juri communi, & Ecclesiæ debitæ reverentiæ, & sic non est extendenda ad æquiparata. Pellizzar. numero 34. Farinacius in *Append. capite 3. numero 64.* Bonacin. §. 4. *initio*. Suarez *capite 11. numero 3.* Palaus puncto 8. numero 6. Lezana verb. *immunitas*, numero 16. licet istos (quia fraudulentus sunt) non esse multo tempore in Ecclesia tolerandos, nec posse bona in creditorum præjudicium ad eam deferre, declaraverit Sacra Congregatio, teste Diana §. *part. in collect. istarum declarationum.*

### §. III.

*De criminosis, quibus Ecclesia immunitas non prodest.*

96. **P**Lura crimina in jure recentur, ratione quorum, delinquentibus immunitas Ecclesiæ denegatur, ut videre est in *cap. inter alia, cap. ultim. de immunitate Ecclesiarum*, & aliis textibus. Quæ omnia Gregor. XIV. in sua Constitutione læpius in hoc puncto citata congesti, & alia addidit. Verba Bullæ sunt ista: *Ad unam tantum formam reducimus, & moderamus, ut laici ad Ecclesias, locaque sacra confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, & publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis*

Quibus non prodest immunitas Ecclesiæ recentur.

diis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quive homicidia, mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassini, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Ubi ut vides septem dumtaxat casus excipiuntur, in quibus immunitas Ecclesiæ, delinquentibus non opitulatur, de quibus suo ordine breviter discurremus.

Quis publicus latro dicitur, cui immunitas non proficit.

90. *Publici Latrones.* Ille dicitur publicus latro, qui palam, & publicè furatur, aut per insidias in viâ publica, aut in domibus privatorum violenter. Sed debet conitari esse publicum latronem, ut immunitate privetur: nec sufficit præsumptio, aut dubitatio: quia solus nominatim excipitur vere publicus latro, non qui præsumitur esse talis. Publici autem tales reputantur vel publicitate juris, ut si hoc crimen aliquando fuerint in iudicio confessi, aut propter ipsum damnati; aut notorietate facti, ut si ipsi in publicis viis deprædentur, vel pro latronibus communiter habeantur. Ludovicus Correa in repetitione capite 3. numero 17. Augustinus Barbosa de jure Ecclesiast. capite 3. numero 79. & 8. Joannes Baptista Lezana tom. 2. verb. immunitas, num. 8. Hinc fit alium quemcumque furem simplicem, etiam in Ecclesia, vel ab Ecclesia aliquid surripientem, non excludi ab isto privilegio, quia solum publici latrones excluduntur, & excipiuntur; & exceptio firmat regulam in contrarium. Sorus libro 5. de justitia

quæstione 3. articulo 3. versu porro autem. Palau tom. 2. tract. 10. disput. univ. punct. 9. numer. 3. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 10. Lezana num. 8. Bonacin. disput. 3. de 1. decalog. præcept. q. 7. de immunit. §. 4. num. 5. Sanchez tom. 3. consil. libro 6. cap. 1. dub. 8. num. 14. Tuschus verb. Ecclesia, concl. 10. num. 23.

98. *Viarum grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, ex cap. inter alia, & Gregoriana Constitutione; ille autem dicitur viarum grassator, qui cum imperu graditur, ut viatores spoliet, vulneret, vel occidat. Sed solum comprehenduntur prædictâ Constitutione grassatores in viis publicis, & itineribus frequentatis; quia textus de istis solum expressè loquitur. Qui verò per insidias aggreditur, & non in loco, aut itinere publico, non privatur immunitate.* Farinacius in Append. de immunit. capite 12. numero 165. Lezana numero 9. Barbosa numero 84. Bonacina num. 6. Palau num. 6. Hinc fit illa genera hominum, qui vulgo dicuntur *Gitanos*, privati esse Ecclesiæ immunitate, quia communiter, ut publici latrones habentur; vel sunt grassatores viarum, qui itinera frequentata, & publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. Quis non videat illos homines talem vitam ducere, ob quam immunitate Ecclesiastica meritò debeant privari.

Qui vulgo dicuntur *Gitanos*, non gaudent immunitate Ecclesiastica.

99. *Depopulatores agrorum, illi videlicet, qui alienos agros diripiunt, qui segetes, aut fructus devastant,* Depopulatores agrorum, illi videlicet, qui alienos agros diripiunt, qui segetes, aut fructus devastant, res so-

Mmm 2

qui

Ium nocturni ab Ecclesia sint ejcien- di.

qui agros, vineas, aut oliveta destrunt. Sed est inter Doctores controversia, an debeat intelligi de nocturnis dumtaxat depopulatoribus, an verò de quibusvis, sive nocturni, sive diurni fuerint depopulatores? Aliquibus hoc secundum satis probabiliter asserentibus, quia in dicta Gregoriana Constitutione absolute depopulatores agrorum excipiuntur: quod de quibusvis nocturnis, vel diurnis intelligi debet, cum absque limitatione loquatur. Sic Bonacin. num. 6. Farinac. cap. 11. num. 61. Barbosa numer. 87. Lezana num. 10. Aliis verò primum non minus probabiliter defendentibus, quia in cap. inter alia, de immunitat. Ecclesiar. depopulatores nocturni exprimuntur: & cum Constitutio, Gregoriana ad confirmandum jus commune sit inducta, & ad tollenda contraria privilegia, cum depopulatores agrorum nominavit, intelligentia est secundum jus commune: alias ut juri communi derogaret, exprimere hoc debebat, diurnos depopulatores nominando. Sic Tuschus verb. Ecclesia, concl. 11. num. 10. Palaus punct. 9. num. 5. Pellizzar. num. 11.

Solum homicidium aut mutilatio in Ecclesia privant immunitate.

100. Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum cimiteriis committere non verentur. Habetur in cap. final. de immunit. Eccles. & in Gregor. XIV. Const. Et merito: quia indignum est, ut Ecclesia illi satisfacta, veat, qui in Ecclesia, contra reverentiam illi debitam delinquit. Et licet hac ratio decidendi videatur communis pro omnibus aliis delictis in Ecclesia commissis, ideoque graves

authores asserant, non gaudere immunitate Ecclesiarum, qui in ea quolibet alia crimina perpetranti; quia semper verificatur esse indignum, quòd Ecclesia illi faveat, qui in Ecclesia delinquit: & quia legis auxilium frustra invocat, qui legem contemnit, cap. quis frustra, de usuris. Atque ita tenent Navarr. in manual. cap. 25. num. 20. Portellus in dub. Regul. verb. Ecclesia immunitas. num. 15. Covarr. 2. variar. cap. 30. num. 15. Suarez lib. 3. cap. 11. num. 6. Bobadilla in Politic. lib. 2. cap. 4. num. 24. § Nihilominus hæc solum probant, justissimè, quod constitutum est de homicidio, aut mutilatione, de aliis constitutum posse, sed de facto non constat sic statutum, & cum agamus de lege pœnali immunitati Ecclesiarum præjudicanti, non est extendenda ad casus, in ea non expressos. Pellizzar. num. 37. Farinac. cap. 16. num. 208. Bonacin. §. 4. num. 12. Palaus punct. 9. num. 9. § Taliter autem homicida, aut mutilator, Ecclesiarum immunitate privatur, ut non solum privetur immunitate illius Ecclesiarum materialis, in qua delinquit, sed cujuscumque alterius; ut si in una delinquat, & ad aliam confugiat, ab hac extrahi possit: quia immunitas à qua est privatus, eadem est in omnibus Ecclesiis: & qui unam offendit, omnibus injuriam irrogavit, cum una sit formaliter Ecclesia in toto orbe terrarum. Lezana numer. 11. Sanchez dub. 8. numer. 16. Pellizzar. num. 12. Bonac. §. 4. numer. 7. Sed qui in Ecclesia vulneraret, si ex tali vulnere mors non sequeretur, aut mutilatio, non privatur immunitate: quia vulnerare non est

est occidere, aut mutilare : & solum occidentibus, aut mutilantibus talis est pœna jure statuta, Farinac. cap. 16. num. 227. Palaus punct. 9. n. 10.

Qui existens in Ecclesia, alium extra Ecclesiam existentem occideret, non gauderet immunitate,

101. Sed est breviter duplex decidenda difficultas. Prima an si existens in Ecclesia, sagitta, plumbeo globo, selopo, aliove instrumento alium feriat, & occidat, aut mutilet, qui extra Ecclesiam existeret, Ecclesie immunitate priveretur? Negat prima sententia. Quia ille vere in Ecclesia non occidit, sed occisionem inchoavit. Pœna autem non imponitur ob actum inchoatum, sed perfectum : sicut non privatur immunitate, qui in Ecclesia evaginaret gladium, & adversarium insequeretur extra Ecclesiam occideret, aut mutilaret. Sic Bonac. quest. 3. disp. 7. de immunit. §. 4. num. 8. Fagundez 2. precept. Eccles. lib. 4. cap. 4. num. 17. & probabile dicit Pelizz. tract. 8. cap. 5. sect. 1. numer. 13. § Sed affirmativè respondendum est : quia qui in Ecclesia ponit causam, ex qua necessario sequitur occisio, in Ecclesia dicitur occidere, sicut qui in Ecclesia graviter vulneraret, etiam si vulneratus extra Ecclesiam moreretur, priveretur immunitate : quia in Ecclesia causam necessariam ex qua mors sequeretur, apponeret ; quod non accideret in eo, qui evaginaret gladium in Ecclesia, & extra Ecclesiam vulneraret. Sic Lezana verbo immunitas, numer. 11. Sylvester eodem verb. 3. quest. 6. Palaus punct. 9. num. 15. Navarr. cap. 25. numer. 21. Suarez lib. 3. cap. 11. numer. 6. Azor 2. part. lib. 9. cap. 9. quest. 14. vers. tertio. Covarr. 2. variat. cap. 10. num.

15. Farinac. cap. 16. num. 223. Imo si aliquis extra Ecclesiam existens, eum qui est in Ecclesia occideret plumbea pila, sagitta, aut lapide, multò magis privandus esset immunitate : quia in delictis potius finis, exitus, & executio illorum attenditur, quàm initium : ergo si ob initium datum privatur, ut diximus ; multò magis ob finem & effectum. Sic citati. At si aliquem vi, dolo, aut fraude, ab Ecclesia extraxisti, & occidisti, non privaris illius immunitate : quia neque occidisti intra Ecclesiam, neque intra illam appotuisisti causam necessariam occisionis, cum libere postea occideris. § Sed nota, quod licet Gregorius XIV. in sua Constitutione dixerit : *Qui homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesia, &c. utendo conjunctione illa &c.* quod & habetur in cap. immunitatem, de immunitate Ecclesie, certissimum tamen est alterutrum sufficere, quia talis est praxis Ecclesie : alius qui occideret, & non mutilaret, prout fieri potest, non privare : ut immunitate, quod est absurdissimum : & multoties dictio & in jure accipitur disjunctivè. Bonacina num. 10. Lezana n. 11.

102. Secunda difficultas est, an mandans, aut consulens in ecclesia occisionem, illius immunitate priveretur? Hoc bifariam fieri potest : Vel quia in Ecclesia existens dedit tale mandatum extra exequendum, quem omnes dicunt non privati immunitate. Vel quia intra, vel extra Ecclesiam existens dedit mandatum de occisione intra Ecclesiam exequenda. Hoc posteriori modo affirmat

Mandans homicidium in Ecclesia, non privatur immunitate.

M m m 3 pri

privari prima sententia : quia quod per alium facis , per te ipsum facere censeris : & qui mandat homicidium , æque homicida est , ac exequens. Navarr. cap. 24. num. 21. Joan. Gutierrez pract. quæst. civil. lib. 3. qu. 2. per totam. Suar. cap. 11. num. 7. & 26. Farinac. cap. 16. num. 229. § Sed oppositum est tenendum, quemadmodum diximus tom. 2. tract. 10. de censuris, cap. 1. num. 141. excommunicacionem, aut aliam censuram laram contra aliquid facientem, non comprehendere consulentem, aut mandantem, nisi exprimantur : & in nostro casu hoc magis urget, quia nullus privatur immunitate, nisi in casibus in jure expressis, cum non sint verbalegis pœnalis extendenda : præcipue ultra expressum in textu sensum, cum non sint extendenda ad ea, quæ immunitati Ecclesiæ præjudicant : at in jure non exprimitur mandans, aut consulens : sed occidens, vel mutilans, sub quo non intelligitur mandans, nisi in lata significatione, quæ non est admittenda in pœnalibus, & sic iste facere non propriè, sed impropriè dicitur ex juris interpretatione, quæ in pœnis non habet locum, nisi ab ipso jure facta sit extensio. Bonacin. §. 4. numer. 9. Pellizzar. num. 16. Lezana num. 11. Palaus puncto 9. n. 17.

Quis proditor dicatur, ut immunitate Ecclesiæ privetur.

103. Qui proditorie proximum suum occiderit, ut habetur in dicta Gregoriana, & cap. 1. de Homicidio. Si quis per industriam proximum suum occiderit, & per insidias, ab altari avelles eum, & morietur. Ille dicitur ex insidiis, & proditorie occidere, qui occidit in-

cautum nil tale præcaventem, aut præcavere debentem, quod Hispanè dicitur : *atraición alevosa mente, sin que tal recelase o pensase* Ut si occidat aliquem, cum quo amicitiam, aut societatem simulabat : vel etiam si occidat inimicum, cum quo reconciliatus credebatur; vel certè cui promissionem dederat de ipso non offendendo; talis est proditor: quia per illam promissionem sublata fuit inimico omnis occasio præcavendi. Pellizzar. num. 18. Palaus nu. 26. Farinac. lib. 2. Consilior. consil. 168. num. 75. § Similiter qui veneno aliquem occidit, proditorie occidere censetur, & immunitate Ecclesiæ privatur. Suarez lib. 3. cap. 11. num. 12. Lezana tomo 2. verbo *immunitas*, numero 12. Farinac. in Append. de immunit. cap. 9. num. 142. Pellizz. num. 18. Palaus punct. 9. num. 26. Quare declaratum merito est à Sacra Congregatione apud Franciscum Leonem in *thesaur. for. Eccles. part. 1. cap. 13. num. 25.* & Barbosam in *collectan. Bullar. verb. immunitas*, & apud Dianam §. part. in *collect. illarum*, matrem occidentem filium infantem non gaudere immunitate; neque eum qui committit homicidium veneno; aut mulierem, quæ malis medicamentis procurat abortum: isti enim occidunt omnino incautos, & nihil cogitantes, aut cogitare debentes. § Item si quis inimicum dormientem, aut alio modo incautum, à tergo, vel per insidias occidat, secundum aliquos immunitate privatur; quia ille dicitur occidere proditorie, qui à tergo, vulgo *atraición*, aut per insidias, & indu-

striam

striam occidit. Covarr. 2. *variar. cap. 20. numer. 7.* Azevedo *lib. 1. titul. 2. num. 11 in consuet. Hispan.* Bobadilla *in Politic. lib. 2. c. 14. num. 34. & 35.* Sed probabilius est oppositum. Quia non quæcumque insidiæ privant immunitate, sed quæ proditorem constituunt; quia solum ab ea excluduntur, qui proditoriè proximum occidunt: sed perseverante inimicitia, insidiæ non constituunt proditorem, quia semper inimicus habet fundamentum sibi præcavendi. Unde sibi imputare debet si incaute occidatur. Lezana *num. 12.* Pellizzar, *nu. 17.* Bonacin, *num. 14.* Palaus *num. 28.* Suarez *lib. 3. cap. 11. num. 12.* & ita declaratum esse à Clemente VIII. in quodam Brevi Archiepiscopo Panormitano directo testatur Diana *5. part. in collectan. declaration.*

**Pœnæ pro assassiniis in jure positæ referuntur.** 104. *Aut assassini reum.* Assassini communiter accipiuntur pro his, qui pecunia, aliove pretio conducti aliquem Christianum occidunt, vel occidi faciunt: & tales immunitate privantur in dicta Constitutione Gregorii XIV. & in *cap. pro humani, de homicidio in 6.* istæ pœnæ pro assassinis assignantur: *Statuimus, ut quicumque Princeps, Prælati, seu quavis alia Ecclesiastica seu secularis persona, quempiam Christianorum per prædictos assassinos interfecit fecerit, vel etiam mandaverit, (quamquam mors forsitan ex hoc non sequatur) aut eos receperit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat sententiam ipso facto, &c.* Quò

textu non privatur immunitate assassinus, sed aliæ personæ per eum assignantur: at in Gregoriana Constitutione expresse excluditur ab ea, & ita habetur ex consuetudine recepta, & ab omnibus authoribus communiter approbata. *Suar. lib. 3. cap. 11. nu. 9.* Lezana *verb. immunitas. num. 13.* Bonacin. *disput. 3. quest. 7. §. 4. num. 18.* Gutierrez *practicar. quest. civil. lib. 3. quest. 7. à n. 5.* Farinacius *in appendice, de immunit. cap. 8. n. 118.* Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. unic. punct. 9. num. 32.* Ut aliquis assassini crimen incurrat, cui immunitatis privatio, & aliæ pœnæ sint annexæ, non requiritur quod de facto pro occisione hominis pretium accipiat; sed sufficit si ei promissum fuerit, & promissionem acceptaverit, sive sit pecunia in magna, sive in parva quantitate: & sive sit pecunia, vel aliud pretio æstimabile. Ut si quis occidat, quia accepit in promissis aliquam uxorem, aliquod officium, vel beneficium, aut quod pro eo apud Principem aliquis intercedere velit, aliudve ipsi præstare, quod pretio solet æstimari. Debet tamen promissio, aut datio pecuniæ, aut pretii esse pro ipsa occisione. Si autem sit pro expensis itineris ad occidendam, aut occisorem à morte, aliusve damnis liberandum, non erit crimen assassini, cui dictæ pœnæ sunt assignatæ: quia ad crimen assassini id requiritur, ut non gratis, sed ob pretium occisio fiat. Pellizz. *tract. 8. c. 5. sect. 1. n. 21.* Lezana *n. 13.* Palaus, Bonacin. Farinac. *loc. cit.*

Qui pretium pro occisione accipit, & non occidit, sed vulneravit, non privatur immunitate Ecclesiastica.

105. Porro qui nulla interveniente promissione alium occidit spe complacendi amico, vel obtinendi aliquod præmium ab eo, vel succedendi in bona defuncti quidem, sed non committit crimen assassini, & sic nec immunitate privatur. Palaus, Lezana, Pellizzar. Farinac. Bonacina *locis citatis*. Nec qui pecuniam ad vulnerandum quidem, sed non ad occidendum accepit: quia textus citati de interficientibus, non de vulnerantibus loquuntur. Atque idem dicimus de eo, qui pecuniam accepit ad occidendum, nec tamen occidit, sed tantum vulneravit: quia non negatur immunitas nisi propriè committentibus crimen assassini: sed qui accepta pecunia ad occidendum, non occidit, verè, & propriè crimen assassini exterius non commisit: ergo Tum quia de mandante dicitur in *cap. 1. de homicidio in 6.* puniendum esse eisdem pœnis assassinatorum, sive mors sequatur, sive non, quod de mandatario minime exprimitur: & sic mandatarius mortem non inferens relinquitur dispositioni juris communis. Farinacius *numero 123. in fine*. Pellizzar. *num. 20. versu suppono quinto*. Palaus *num. 38.* Unde qui mandat alium occidi sub promissione pecuniæ, etiam morte non sequuta, in ordine ad pœnas incurrit crimen assassini, & immunitate privatur, quia respectu mandatarii exprimitur in jure pœnas assassinatorum incurtere: *Quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur.* Lezana *numero 13.* Farinacius *cap. 8. num. 118.* Palaus *n. 39.* Pelliz. *num. 20. versu suppono sexto.*

Etiã recipiens, defendens, occultans assassinum, immunitate privatur, si cognoscat eum assassinum esse, cui auxilium præstat, & illi quatenus assassino auxiliatur, ex dicto textu *Prout humani, de homicid. in 6.* Idem est de mediatoribus, seu complicibus, eo, quod ipsi etiam possunt dici rei assassini. Peregri. *tract. de immun. c. 7. n. 36.* Lezana *verb. immun. numer. 13.*

**Crimen hæresis.** Ratione cujus, immunitate privantur hæretici; cum sit omnium gravissimum crimen Ecclesiam Dei funditus evertens. Et idem est de recipientibus, occultantibus, defendentibus, aliove modo hæretico auxilium præstantibus, si quatenus hæreticus est ei opitulens. Secus verò, si quia amicus, quia consanguineus ei auxilium præbeat; ut ob alia delicta quæsitus, liberetur. Si tamen ut hæreticus quæretur, tunc is, qui quomodo liber ei auxilium præstaret, immunitate privaretur: quia licet ei in tali casu auxilium ferens, verè, & coram Deo hæreticus non esset; hæresis tamen suspicio nem incurreret: at qui suspectus est de hæresi, ab Ecclesia extrahi potest, ut examini subiciatur: ergo. Unde omnes de hæresi suspecti, sive quia auxiliatores hæreticorum, sive alio modo hæresis suspicionem incurrant, privantur immunitate. Lezana *n. 14.* Pellizzar. *num. 22.* Diana *part. 1. ar. de immun. resol. 38.* Farinacius *cap. 13. num. 135.* Bonac. *disputatione tertia, questione septima, §. 4. num. 21.* Palaus *n. 41.*

Læſæ  
Majeſta-  
tis cri-  
men in  
perſo-  
nam  
Princi-  
pis, pri-  
vat im-  
munita-  
te.

106. Denique privantur immu-  
nitate ex ſupradicta bulla Gregor.  
XIV. *Rei læſæ Majeſtati in perſonam ip-  
ſiusmet Principis, & nomine Principis*  
illum communiter intelligunt Do-  
ctores, qui ſupremam habet poteſta-  
tem, abſque ſubjectione in tempora-  
libus ad alterum Crimen autem læſæ  
majeſtatis in perſonam Principis eſt  
illius offenſio: ſub quo nomine ve-  
nit quælibet læſio, ut percuffio, vul-  
neratio, incarceratio, inſequutio,  
conjuratio, machinatio, ſeditio, aut  
conventicula proditoria, &c. Sufficit  
ergo, quod crimen inferatur in per-  
ſonam Principis per unam ex iſtis  
actionibus, ut læſæ majeſtatis reus  
immunitate privetur. Cæterum ſi quis  
eſſet læſæ majeſtatis reus, non in  
perſonam Principis, ſed vel in ejus  
ſtatuum, in ejus conſanguineos, mi-  
niſtros, conſiliarios, &c. non private-  
tur immunitate: quia ſolum crimen  
læſæ majeſtatis in perſonam ipſius-  
met Principis excipitur. *Diana reſolut.*  
*7. & 29. Bordon. tom. 2. reſolut. 1.*  
*numero 24. Lezana num. 15. Pellizzar,*  
*num. 24. Palaus num. 42. Farinacius*  
*cap. 14. n. 140. Qui etiam doceat de-*  
*bere intelligi de Principe qui ſit ſu-*  
*premus Princeps reſpectu offenden-*  
*tis: ita ut ratione originis, aut domi-*  
*cilij ſubditus ſit illius; aliàs non com-*  
*mittet crimen læſæ majeſtatis, &*  
*colligi exiſtimant ex Clement. Paſto-*  
*ralis, §. denique, & ſequentibus, de ſen-*  
*tentia, & rejudicata. Sed huic doctri-*  
*næ acquieſcere nunquam potuimus:*  
quia Gregorius XIV. reum læſæ ma-  
jeſtatis in perſonam Principis abſolu-  
tè excludit. Qui autem mortem ſu-

premi capitis machinaretur, licet ejuſ  
ſubditus non eſſet, crimen graviffi-  
mum læſæ majeſtatis incurreret: er-  
go. Quis enim negabit eſſe reum læ-  
ſæ majeſtatis quemdam, qui à dæ-  
mone ſeductus, vel forte ab aliquo  
alio incitatus (quod quando hæc  
ſcribimus paſſim per totam Hiſpa-  
niam, non ſine magno Hiſpanorum  
dolore circumfertur) mortem noſtri  
Catholici Regis Caroli II. (cujus vi-  
tam ad totius ſui Regni, & Eccleſiæ  
tutamen, utinam per plures, & plu-  
res annos Deus Optimus Maximus,  
ut enixe quotidie ipſum deprecamur,  
conſervet) cum tredecim eſſet anno-  
rum, audaci, & temerario animo, præ  
neſas, per venenum porrectum pro-  
curavit? Huic peſſimo homini Ec-  
cleſia opitulabitur? abſit. Projiciatur  
ab Eccleſia; gladio, patibulo, aut igne  
plectatur, qui tantum neſas in Prin-  
cipem innocentiffimum, cum totius  
Hiſpaniæ pernicie, vel cogitare fue-  
rit auſus.

107. Ex dictis ſequitur, præter Non da-  
dictos caſus, nullum alium dari, ra-  
tione cujus delinquentes, ad Eccle-  
ſiam confugientes, illius immunitate  
priventur: quia in cap. inter alia 3.  
conceditur immunitas quibuſcum-  
que delinquentibus, quantumcum-  
que gravia crimina perpetraverint,  
nifi in illis caſibus exceptis: & in Bul-  
la Gregoriana, quæ expedita fuit, ut  
omnia ad unam formam redigeren-  
tur, expreſſe ſolum aſſignantur caſus  
ſupradicti, & ſic nullus alius adjun-  
gendus eſt, ex regula generali, quod  
exceptio firmat regulam in contra-  
rium, in caſibus non exceptis. Nec ta-

N n n tione

tione consuetudinis alij dantur casus excepti: quia omnes consuetudines derogantes immunitati Ecclesie sublatae sunt per Tridentinum *sess. 25. cap. 20.* & per Gregorium XIV. in sua Constit. uti docent Bordon. *tom. 2. resolut. 1. num. 10.* Pell. *tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 36.* Diana *tom. 1. tract. de immunit. resolut. 1.* Lezana *tom. 2. verb. immunitas, num. 16.* Farinacius in *append. de immunit. cap. 2. num. 18.* Bonacin. *disp. 3. quest. 7. de immunit. §. 6. num. 4.* Palauus *tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 10. num. 2.* Sed neque etiam ex identitate rationis, imo neque ex majoritate alij casus excipiuntur, etiam si casus sint graviores, & atrociores, quam excepti. Tum, quia non est facienda extensio ob identitatem rationis, quando talis extensio praedjudicat causae favorabili, uti est immunitas. Tum etiam: quia si ultra excepto liceret alios excipere ob identitatem rationis, nihil firmum, & stabile esset circa hoc constitutum in jure, & passim iudices saeculares, suam jurisdictionem extenderent, Ecclesiae violarentur, & universa litibus, & scandalis paterent. Suar. *tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. cap. 11. num. 15.* & 17. Farinac. *cap. ultim. num. 353.* & lib. 3. *Consil. consil. 16. num. 14.* Joannes Gutierrez *Pract. quest. civil lib. 3. cap. 4. num. 12.* & 17. Barbof. *de jure Eccl. lib. 2. cap. 3. num. 117.* Lezana *num. 11.* Palauus *num. 3.* Pelliz. *num. 36.*

Casus  
omnes  
non ex-  
cepti, in  
quibus

108. Hinc fit, nec violatores virginum, nec adulteros ad Ecclesiam confugientes privari illius immunitate, quia non sunt casus expressè excepti, & sic in *cap. de raptoribus 36.*

*quest. 1.* his conceditur immunitas. Nec simoniacus, nec Sodomita privatur, quia nullibi hoc crimen, est horrendum, & gravissimum excipitur. Nec sacrilegus, blasphemus, superstitiosus, nisi de suspitione haereticus sint examinandi: quia in *cap. inter alia,* & Bulla Gregorij, solam excipitur sacrilegium ob mutilationem, vel homicidium factum in Ecclesia, & sic alia sacrilegia non sunt excepta. Idem de perjuro, falso teste, & de incendiariis dicendum est, quia isti non excipiuntur. Et quamvis hoc crimen simile sit depopulationi agrorum, qui est casus exceptus, cum tamen non sit idem, sed diversum, exceptio unius, non est exceptio alterius quia potius firmat regulam in contrarium. Nec privantur immunitate fabricantes, aut falsificantes monetam: quia licet sit crimen laesae majestatis, non tamen in personam principis, sed in ejus statum: & sic non est de criminibus exceptis. Guier. *lib. 3. q. 4. per totam.* Palauus *punct. 10. per totum.* Farinac. *cap. 99. n. 96. 97. & 105.* Lezana, Bordon. Bonac. *locus citatis.* Diana *5. part. tract. 1. resolut. 2.* Etiam ministri, quia violenter extrahunt ab Ecclesia confugientes ad illam, gaudent illius immunitate: quia talis casus non est de exceptis in jure; quamvis alias esset dignum illud crimen ut exciperetur; cum non debeat immunitatem prodesse illi, qui noluit eam prodesse alteri. Farinacius *num. 106.* Palauus *num. 10.* Pellizzar. *numero 35. qui num. 37. sic merito dicit: (Quod autem ait Naldus verb. Ecclesia num. 5. ex Farinacio, furantem pixerem*

immu-  
tas de-  
linquen-  
tibus  
prodest

dem in qua asservatur Eucharistia, non gaudere immunitate, cum sacrilegus aperte delinquat in personam supremi Principis; adeoque committat delictum exceptum in Bulla Gregorij; mihi minus probatur, cum simus in materia pœnali, quæ non debet ampliari ultra verborum proprietatem, & Greg. in excipiendo hoc delicto loquatur de offensione corporali, illata Principi humano; non autem de injuria facta Deo, qualis est ea, de qua hic) hæctenus ille.

§. IV.

*Quos effectus habeat immunitas Ecclesia hæctenus stabilita.*

Reus ab Ecclesia per vim extractus, adhuc illius gaudet immunitate.

109. **P**rimus, & præcipuus hujus immunitatis effectus est, ut reus ad Ecclesiam confugiens, in ea capi, aut ab ea invitus extrahi non possit, l. 2. C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt, cap. inter alia, de immun. Eccles. Sed si ipse libere exeat, à iudice capi, & incarcerari poterit, (quia jam non invitus extrahitur) nisi fortè necessitate aliqua coactus exeat. Unde si per vim ab aliquo extractus esset, non poterit à iudice capi, sed Ecclesie restitui debet, quia extractio violenta reo præjudicare non potest. Et quamvis iudex non esset hujus violentæ extractionis particeps; violaret nihilominus Ecclesie immunitatem, si reum sic extractum caperet: quia continuaret illam violentam extractionem, & reum Ecclesie non resti-

tueret, in qua adhuc moraliter esse censetur, quandiu violenter ab illa extractus rennetur. Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 11. in resp. ad 2. Farinacius in appendice, de immunit. cap. 2. num. 50. Palaus tom. 2. tract. 11. disp. unic. punct. 11. num. 2. §. At si blanditijs, vel dolo- sis verbis inductus reus à loco sacro exeat; potest capi à iudice, & puniri, quia jam non est violenter extractus, & sola violenta extractio in iuribus dictis prohibetur. Lezana tom. 2. verb. immunit. num. 18. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 38. Bonacin. disputatione tertia, quæst. 7. §. 2. versu sexto, Fagundes in 2. Ecclesia præcept. lib. 4. cap. 4. Suarez lib. 3. c. 18. n. 2.

110. Secundus effectus est, ne reus in Ecclesia existens, vinculis alligetur, vel alio modo personaliter vexetur: quia hoc esset ex loco sacro carcerem facere, quod prohibetur expressè, cap. definitiv. 17. quæst. 4. ibi: nec ipsi aliqua vis, nocibilitas, aut damnum inferatur. Tertius, ne fugienti ad Ecclesiam impediatur alimenta, vestitus, & reliqua vitæ necessaria, l. præsentis, C. de his, &c. enim dicto c. definitiv; hoc sicut etiam esset per indirectum à loco sacro extrahere. Unde fit teneri Ecclesiam, vel Monasterium, i. li de necessarijs providere, si alias ipse non habeat proprium, vel si habeat, eo uti non possit, dicta l. præsentis, §. sane. Tum ob illam regulam charitatis: Si non pavisti, occidisti. Tum etiam: quia debet Ecclesia reum non derelinquere cogatur, ne coactus inedia se curiæ seculari tradere cogatur, aut perire.

Fugientibus ad Ecclesiam alimenta non debent impediri.

N n n 2 Azor.

Azor. 2. part. lib. 9. capite 9. quest. 13. Lezana num. 23. Farinacius cap. 19. num. 299. Palaus punct. 11. num. 7. § Quartus, ne bona delinquentis, quæ secum ad Ecclesiam tulerit, auferantur, cap. desinivit. 17. quest. 4. Si autem bona, quæ secum tulit, aut sint aliorum, aut aliis obligata, poterit à iudice eis spoliari, quia hoc non esset ei nocendum inferre; sed ne ipse alijs nocendum inferat impedire, sicuti ob hoc ab eo arma prohibita tolli possunt. Suarez cap. 12. num. 3. Pellizzar. num. 38. Bonacin. §. 5. verso, Tertius effectus. Farinacius num. 100. Lezana num. 18. qui ita ait: (In quo tamen video sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium 14. Novembr. 1636, præcepisse bona posita in loco immuni in præjudicium creditorum, deponi debere in loco non immuni, & die 9. Martii 1635. præcepisse Vicario generali Mediolanensi, ne talia bona detineri permitteret in loco immuni in præjudicium creditorum. Item 12. Decemb. 1642. præcepisse, ut ex quadam Ecclesia extraherentur bona, eo transportata in fraudem creditoris, consignanda tamen iudici competent.)

Qualiter  
in Eccle-  
sia exi-  
stens  
possit  
judicia-  
liter  
con-  
demnari

III. Quintus effectus est, ne reus dum in Ecclesia existit, damnetur ad mortem, vel ad aliam poenam corporalem, ut ad exilium vel non trimeses, servitutem, flagellationem, &c. capite Inter alia, de immunit. cap. constituimus 17. q. 4. Verum ex consuetudine videtur receptum, cum reus confugit ad Ecclesiam, quod iudex in eum inquirat ac illum citari

faciat, & si non compareat, in eum tanquam in absentem proferat sententiam: quam tamen non potest mandare executioni, ob Ecclesiam immunitatem. Farinacius quest. 28. de carcerib. num. 77. in fin. Pellizzar. num. 38. Palaus num. 11. § Sextus ut extractus extra casus in jure exceptos, ante omnia debeat Ecclesiam restitui, cap. miror. 17. quest. 4. ob regulam generalem, quod spoliatus ante omnia est restituendus. Neclatis facit iudex iuramentum faciendo de securitate rei, & quod eum corporaliter minime puniet: quia prius debet Ecclesiam, quæ spoliata fuit, satisfacere. Suarez lib. 3. cap. 13. num. 6. Farinacius in append. de immunit. capite 2. num. 49. § Sufficit autem, quod reus cuicumque Ecclesiam restituatur, si in illa æque securus, ac in ea à qua extractus est, existat. Nec requiritur, quod tali materiali Ecclesiam restituatur: quia hoc privilegium unicum est pro omnibus Ecclesiis. Unde sicut injuria uni facta, omnibus fit; sic satisfactio uni præstata, omnibus præstatur. Bonacin. §. 5. circa finem. Palaus n. 13. Pellizzar. n. 38.

112. Septimus effectus est, quod si reus de facto ab Ecclesia extraheretur, talis extractio nulla esset, & omnes actus ex illa sequuti, ut expresse habetur in Bulla Gregoriana; quia reus in Ecclesia existens extra casus exceptos, est extra jurisdictionem iudicis secularis, & sic cum eum invitum extrahit, non exercet in illum actum jurisdictionis sed tyrannidem. Unde omnia subsequencia sunt nulla: nec potest reum citare, interroga-

Nulla est  
extractio  
rei ab  
Ecclesia,  
& actus  
inde se-  
quuti

N  
b  
ab  
cl



li, & ultimo supplicio punitur, ex l. presenti, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. ibi: Capitali, & ultimi supplicij animadversione plectendus. Verum hæc pœna non videtur ulu recepta, ut tradunt Suarez lib. 3. cap. 13. num. 6. Lezana tom. 2. verb. immunitas, num. 21. Bonac. disput. 3. quest. 7. §. 6. num. 5. § Per jus autem Canonicum iudicio Episcopi violatores immunitatis Ecclesiasticæ pœnitentia publica puniri possunt, nec non pecuniariâ pœnâ, in cultum Ecclesiæ violatæ applicandâ, aliquando triginta librarum argenti examinati, aliquando non genitorum solidorum, quamvis in hoc possit Episcopus justum sequi arbitrium proprium: pensata delicti qualitate, & conditione delinquentis, cap. Si quis contumax 17. quest. 4. vrs. cum ponas, quæ pœna antiquata non est, ut aliqui putant, sed in suo robore manet quia per Concilium Tridentin. sess. 25. cap. 20. & per Bullam Gregor. XIV. omnes pœnæ antiquis canonibus latæ adversus immunitatis violatores renovantur. Tuschus verb. Ecclesia. conclus. 8. num. 11. Farinacius in append. de immun. cap. 20. num. 319. Lezana n. 21. Bonac. n. 5.

Excommunicacionem ipso facto incurrunt violatores Ecclesiarum.

115. Præter hanc pecuniariam pœnam, publicamque pœnitentiam imponendam sententia excommunicationis violatores Ecclesiasticæ immunitatis feriuntur, cap. sicut antiquitus, cap. frater, cap. definit 17. quest. 4. Sed per hos textus non imponitur excommunicatio, latæ, sed ferendæ sententiæ: & sic ex vi illorum non sunt ipso facto excommunicati, sed excommunicandi illius criminis rei:

Cæterum in bulla Gregorij, ipso facto talis excommunicatio assignatur, ibi: *declaramus ipso facto easdem censuras, & pœnas incurrere.* Et ita declaratum fuisse à Clement. VIII. & Paulo V. & Sacra Congreg. testatur Thelaurus in Summ. verb. immunitas, cap. 1. Bordon. tom. 2. resol. 1. nu. 15. Palaus tom. 2. tract. 11. disput. unic. punct. 12. num. 3. Bonac. §. 6. num. 5. Pellizz. tract. 8. cap. 5. sect. 1. num. 48. Quas pœnas primo iudex mandans delinquentem extrahi, aut extractum non restituens, incurrit. Deinde omnes ministri ad hoc concurrentes: & denique quælibet alia persona, etiam particularis, quæ quomodolibet ad talem extractionem adjuverit. Et non solum has pœnas incurrit, qui de facto extraxit; sed qui extrahere tentavit, si talis attentatio ad actum proximum extractionis redacta fuerit, ut si iudex mandatum dedit, & mandatarium accepit, si Ecclesiam clausam tentavit aperire, vel delinquentem inde extrahere, etsi non potuerit: quia vel illum non invenit, vel repulsus fuit; tunc ob talem conatum dictas pœnas incurrerit: quia jam contra tenorem Constitutionis Gregorij extrahere tentavit, & in hac non solum effectus, sed etiam conatus punitur. Menochius de arbit. casu 350 num. 68. Farinacius cap. 20. num. 321. Pellizzar. num. 55. Lezana num. 21. Palaus num. 5. Bordon. num. 14.

116. Sed quis possit absolvere ab hac excommunicatione, est inter Doctores non levis controversia, aliquibus illam esse Apollolicæ Sedi referendam.

Non  
ne pro  
batur  
prædi  
ctam

excommu-  
nicatio-  
nem esse  
reserva-  
tam.

reservatam non sine magno funda-  
mento afferentibus: quia Paulus II. in  
*extravaganti, de penitentiis, & remis-  
sionibus, cap. 3. inter communes, inter ca-  
sus Sedi Apostolicæ reservatos, inter ca-*  
offensam ecclesiasticæ libertati fa-  
ctam. Sed hoc nihil probat: quia  
aliud est violatio libertatis ecclesiasti-  
cæ, aliud violatio immunitatis. Liber-  
tas enim refertur ad personas, immu-  
nitas ad loca, & ideo censuræ latæ  
contra violatores libertatis ecclesi-  
asticæ, non comprehendunt violato-  
res immunitatis, ut docent Covarr.  
*2. variar. cap. 20. num. 1. Marius Ital. de  
immunit. Eccles. lib. 1. cap. 6. §. 2. Farina-  
cius in append. de immun. cap. 1. num. 4.  
licet cap. 20. num. 315.* esse hanc ex-  
communicationem reservatam acriter  
defendat: quia in Bulla Gregoria-  
na violantes immunitatem incurrunt  
censuras latas, adversus libertatis ec-  
clesiasticæ violatores; sed in Bulla  
Cœnæ est lata censura excommuni-  
cationis reservatæ, adversus violato-  
res libertatis: ergo etiam est pro im-  
munitatis violatoribus. Sed neque  
hoc probat intentum: quia in Bulla  
Greg. solum renovantur, aut expri-  
muntur censuræ adversus violatores  
libertatis Ecclesiasticæ, non vero ea-  
rum reservatio: & cum reservatio  
non censetur adjecta nisi expresse  
inveniat extensa, *ex cap. nuper, de  
sent. excomm. per hoc quod violato-  
res immunitatis feriantur censuris la-  
tis contra violatores libertatis, non  
sequitur, quod si hæ reservatæ sunt,  
etiam illæ reservatæ.*

117. Quare in hac parte, ut cer-  
tum judicamus Regulares Confessa-  
rios non posse vi suorum privilegio-  
rum ab hac censura absolvere sacu-  
lares, nisi ad hoc ab Ordinario par-  
ticularem habeant facultatem: quia  
eis sublata est quoad hoc omnis fa-  
cultas à Clemente VIII. in decreto  
edito super casum reservatione, ubi  
prohibetur omnibus confessoribus, ne  
virtute privilegiorum absolvant à  
violatione immunitatis Ecclesiasticæ,  
in terminis Constitutionis Gregorij  
XIV. *Cum alias, & tenent infra citan-  
di. Et dixi saculares, quia si forte Reli-  
giosi eam incurrerent, possunt à suis  
ordinariis confessoribus absolvi, ut  
testatur, & probat Bordon, tom. 2. re-  
solut. 1. num. 16.* Cæterum neque in di-  
cto decreto Clementis VIII. nec in  
aliis juribus tollitur Ordinariis facul-  
tas absolvendi ab ista censura, vel ad  
id alium deputandi. Non in aliquibus  
juribus, quæ nulla dantur. Neque in  
dicto Clementis VIII. decreto, quia  
hoc non est contra Ordinarium sed  
contra simplices confessarios; neque  
in eo interdicit Pontifex minuere Epis-  
coporum facultatem, sed potius au-  
gere, ut ex Decreti constat tenore.  
Quare ab hac excommunicatione  
posse Episcopum absolvere, vel alium  
de ejus licentia, tenent Pellizzar. *tract.  
8. cap. 5. sect. 1. num. 56. Bordon, sup.  
Diana parte 1. tractat. 1. resolut. 41.  
Palau sup. num. 7. Covarruv. 2. va-  
riar. cap. 6. numero 1. Bonacina disp. 3.  
questione 7. §. 6. nu. 8. Naldus in summ.  
verb. casus reservatio n. 1. Megala parte  
3. lib. 4. de censur. capite 2. nu. 34. Bos-  
sus sect. 1. de jubileo casu 2. n. 11. & alij.*

118. Sed

Episco-  
pus, &  
non alius  
potest à  
dicta ex-  
commu-  
nicatio-  
ne absol-  
vere.

Non  
violant  
immuni-  
tatem  
Regula-  
res, qui  
ex iusta  
causa à  
suo mo-  
nasterio  
reos ex-  
pellunt.

118. Sed si rogas an Regulares violent immunitatem, & subdantur præfata excommunicationi, alijsque pœnis, si reos ad eorum monasteria, aut Ecclesias confugientes expellant? § Respondetur affirmativè. Tum: quia sic habetur, *cap. miror. 17. quest. 4.* & in Bulla Gregorij, in qua omnes, & quocumque contra illius tenorem operantes præfatis pœnis addicit. Verum si à sua Ecclesia vel monasterio facinorosum expellant, non eo fine ut perdat hoc privilegium, & sic facilius incidat in manus iustitiæ; sed ex eo præcise, quod est homo inquietus, injurius, & rædiosus Religiosis, vel quia immodestè se gerit quietem Religiosorum perturbando, damnumve illis inferendo, vel quia Religiosi ipsi legem aut Constitutionem habent, ut nisi per tot dies possint ad se confugientes retinere, uti nobis per nostras præcipitur *1. part. cap. 11. num. 3.* ibi: *delinquentibus tamen qui ad nos confugerint, ultra tres dies in domibus nostris non liceat permanere*, ne videlicet quies, & religiosa observantia ob talium consortium perturbetur; Tunc (id est in prædictis, & similibus casibus) nec Religiosi immunitatem violant, nec pœnas dictas incurrunt, Tum: quia cum jus servandi propriam habitationem sine perturbatione sit naturale, præferri debet juri Ecclesiastico, quod habet reus confugiens ad Ecclesiam; ne alias quod Religiosis conceditur in favorem, retorqueatur in dispendium. Tum etiam: quia pœnæ imponuntur *presumentibus*, quales sunt illi, qui temerè, & dolosè reos expellunt,

uti pluribus citatis docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 32. num. 38.* ubi docet verbum *presumere* importare temeritatem, malitiam, & dolum: sed Religiosi in prædictis casibus neque dolosè, neque temerariè expellunt: ergo. Non dolosè: quia ille dicitur dolo agere, qui malo animo operatur, *leg. dolo ff. de dolo.* Nec dolosus dicitur utens jure suo. Sanchez *lib. 5. disp. 5. num. 33.* Neque etiam temerariè: quia ex rationabili causa movetur, & agere temerariè est agere sine rationabili causa. *l. eum, qui temerè ff. de judic. & Gloss. versu Porro in fin. Clementin. 1. de sum. Trinit.* Igitur cum dicti Religiosi non ejiciant malo animo, sed jure suo utantur expellendo, & fugiendo consortium malorum hominum infestorum, quos homines boni solent fugere; non agunt contra Gregorianam, nec immunitatem violant, nec pœnas illius incurrunt. Sic Pellizzar. *num. 51. qui citat Pasqualig. Bordon. num. 22. & 23.*

## §. VI.

*Quomodo confugientes ad Ecclesiam tradantur vel non judici seculari, ab ipso puniendi.*

119. **C**ertum est in casibus exceptis, de quibus loquuti sumus §. 3. tradendos esse judici seculari delinquentes confugientes ad Ecclesiam, si ab eo requisiti fuerint Clerici, aut Religiosi; quia cum illis immunitas non proficit, nulla est causa quare retineri debeant. In casibus au-

Extra-  
sus ex-  
cepto  
Clerici  
aut Re-  
ligiosi  
tradendos  
esse tunc  
tem

larita-  
tem, si  
reus oc-  
cidatur,  
aut mu-  
tiletur.

tem non exceptis, non poterit Præla-  
tus, reum Curia seculari tradere ipso  
repugnante, quantumvis illa securi-  
tatem, aut etiam juramentum præstet  
de ejus impunitate; quia tunc gaudet  
delinquens immunitate, quæ præci-  
pue consistit in eo, quod delinquens  
non possit in viis à loco Sacro ex-  
trahi, & judicari. *Lezana tom. 2. verb.  
immunitas, num. 22. Pellizzar. tract. 8.  
cap. 5. sect. 1. num. 39. & 45. Bonac. disp.  
3. quest. 7. §. 7. num. 12. Palaus tom. 2.  
tract. 11. disp. unic. punct. 13. num. 2.*  
Unde Ecclesiastici, vel Regulares  
tradentes reum Curia seculari in ca-  
sibus non exceptis, si inde mors, aut  
mutilatio ipsius sequatur, incurrunt  
irregularitatem; quia censentur mor-  
ti, aut mutilationi illius cooperari.  
*Rodriguez tom. 2. quest. 50. artic. 2.  
Lezana num. 22. qui bene ait, Præla-  
tos non defendentes reum, sed per-  
mittentes eum extrahi, incurrere  
hanc irregularitatem; quia ipsis ex  
justitia, & officio incumbit tuertim-  
munitatem Ecclesiarum. § In casibus  
vero exceptis, attentâ Constitutione  
Gregorianâ, & consuetudine jam re-  
ceptâ non exigitur juramentum à ju-  
dice seculari, de non puniendo  
reum, nec ipsi judices illud præstare  
tenentur, licet id exigatur, cap. reum,  
cap. constituimus 17. quest. 4. Sed libere  
ipsis est tradendus, puniendus pro  
qualitate delicti, ac si ad Ecclesiam  
minime confugisset: quia nihil tale  
confugium reo prodesse potest in di-  
ctis casibus exceptis. *Farinacius in  
Append. de immunit. capite ultim. nume-  
ro 343. Bonacina §. 7. in fine. numero 5  
Lezana num. 25. Hæc autem traditio**

debet fieri de mandato Episcopi, vel  
ejus Vicarij, per aliquam Ecclesiasti-  
cam personam ab eo, deputatam,  
prius cognito per Episcopum, vel per  
deputatum ab eò, an reus verè excep-  
ta crimina commiserit, ut in dicta  
Gregorij XIV. Constitutione expres-  
se habetur.

120. Ex quo sequitur, quod, spe- Ex con-  
ctato saltem juris rigore in cap. desi- suetudi-  
nivit. capite constituimus, capite reum ne, ad ex-  
17. quest. 4, & maxime in Bulla Gre- trahen-  
goriana, (ubi id expresse cavetur) non dum  
potest judex laicus adhuc in casibus reum ab  
exceptis extrahere delinquentem ab Ecclesia  
Ecclesia absque licentia Episcopi, vel in casu-  
ejus Officialis: sed ex recepta nunc bus ex-  
consuetudine, & praxi communi pos- ceptis,  
sunt judices seculares in casibus cla- non re-  
re exceptis, inconsulto Episcopo reos quiritur  
ab Ecclesia extrahere; quia illi non licentia  
gaudent immunitate Ecclesiæ, & sic Episcopi  
nec ab ea defendi possunt, ut asserunt  
*Suarez lib. 3. cap. 13. n. 1. Palaus punct.  
13. num. 4. Azevedo in Constitut. His-  
pan. lib. 1. titul. 2. leg. 3. num. 29. Co-  
varruv. 2. variar. cap. 20. numero 18.  
vers. 34. Farinacius de carcerib. quest. 28.  
num. 75. Sed si dubium sit, an casus sit  
exceptus, vel non; non poterit judex  
laicus vi inde extrahere reum; quia  
immunitas concessa est omnibus de-  
linquentibus extra casus exceptos: er-  
go quoties non constiterit commi-  
sisse casum exceptum, illa spoliari  
non poterit, *Decianus tract. crimin.  
lib. 6. cap. 29. num. 2. Farinacius in Ap-  
pendic. de immunit. cap. ultim. n. 370.**

121. Sed ad quem judicem per- Cognos-  
tinebit cognitio, an casus sit excep- cere an  
tus, vel non? Respondetur hoc perti- casus sit

O o o nere

exceptus  
pertinet  
ad Epif-  
copum.

nere ad Episcopum solum, vel ad alium ab eo deputatum, ut habetur in dicta Gregoriana ibi: *nisi cognito prius per Episcopum, vel per alium ab eo deputatum, an delinquentes, verè criminosa excepta commiserint, & habetur cap. metuentes, cap. ad Episcopum 17. quæst. 4. & ex jure civili, l. Pateant, §. hoc vero C. de his, qui ad Eccles. confugiunt. Quia causa Ecclesiasticæ cognitio, qualis est immunitas Ecclesiarum, ad Ecclesiasticum Prælatum debet pertinere: neque ob id sequitur Episcopum in propria causa jus dicere: quia hic non agitur de causa illius, sed de causa communi Ecclesiæ. Pellizzar. numero 49. Lezana numero 28. Bonacina §. 7. numero 2. vers. 3. Farinacius numero 366. & 367. Azevedo supra num. 20. Gariers, practiæ quæst. civilium lib. 3. quæst. 1. numero 5. §. Cum autem dicimus ad solum Episcopum, vel ejus deputatum pertinere, intelligi debet de vero Episcopo, non autem de inferiori: idque licet is sit Ordinarius, aut nullius diocesis. Unde si contingat delinquentem se recipere in locum Sacrum exemptum, aut nullius diocesis, facultas extrahendi illum, obtineri debet ab Episcopo viciniore; quia ita disponit Gregorius XIV. in sua citata Constitutione. Sed autem vacante adeundus est Vicarius capitularis, utpote succedens in omni jurisdictione Episcopi. §. Quare hoc decidere, ad Episcopum, non vero ad Prælatos Regulares pertinebit: & sic solum ex ejus autoritate, & licentia poterit ex monasterio delinquens extrahi in casibus exceptis, ad effectum consignandi illum Curia seculari, ut ex-*


preste dicitur in dicta Bulla. & ita tenent Bordon. n. 7. & 8. Barbol. supra num. 156 & 157. Lezana num. 28.

122. Cæterum licet ad hoc ut Episcopus, vel ab ipso deputatus tradat reum judici seculari, debeat cognoscere, an ille commiserit aliquod ex delictis exceptis, & non teneatur stare processui factò à Curia seculari, quia potest illum habere suspectum, utpote factum in causa propria ipsius contententis; potest tamen illi stare, si prudenter credat esse legitime factum, & se posse uti illo ad suam conscientiam informandam. Palaus, Pellizzar, Lezana, Bordon. locis citatis. Regulariter autem loquendo Episcopus debet novas probationes facere, summarie tamen, & quam citius fieri potest expediendas, ac extra ordinem juris, cum totum hoc tuo iudicio, & arbitrio committatur. Porro debet Episcopus de delicto commissò cognoscere non solum ex præsumptionibus, aut conjecturis rem probabilem efficienibus: quia Ecclesia jus habet tuendi omnes delinquentes ad se confugientes, nisi in casibus exceptis: ergo, dum cerò non constiterit Episcopo casum esse exceptum, injustè illo jure privat Ecclesiam: Sed per præsumptiones, & probabiles conjecturas non sufficienter aut cerò constat de delicto commissò, cum tales non sufficiant ad tollendum ab alio jus quæsitum, nec vincant præsumptionem ortam ex possessione immunitatis in jure fundatam: ergo, & c. Bonac. §. 7. circa finem. Farinacius cap. ultim. n. 8. & sequens. Palaus n. 8.

Examet  
facien-  
dum ab  
Episco-  
po ut  
tradat  
reum ju-  
dici se-  
culari.

Pel-

Pellizzar. num. 40. Lezana num. 28.  
 123. Demum Episcopus non debet extrahere reum ab Ecclesia, vel monasterio Regularium, sine consensu proprii Prælati illius, cum iste sit talis loci patronus. Immo neque ipse Episcopus sine consensu Prælati Regularium extrahere potest ab Ecclesiis Regularium Clericum sibi subditum ad eas post delicta confugientem, etiam si Clericus non gaudeat immunitate contra suum Episcopum juxta dicta §. 2. non quidem ratione immunitatis Ecclesiæ, quam supponimus non suffragari Clericis contra ipsorum Episcopum; sed ob exemptionem, quam habent monasteria, & loca Regularium; quia Episcopus nullam potest exercere jurisdictionem in loco exempto, cum locus exemptus comparetur loco extra territorium existenti, ut supra n. 3. dicebamus, & jus dicenti extra territorium impune non pareatur. Unde sicut Episcopus nequit punire ibi degentes, sic nec potest eos inde extrahere. Zetpedes de exemptione disput. 228. num. 6. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 1. nu. 44.



PUNCTUM IV.

De privilegiis concessis Regularibus nova monasteria fundandi, & antiqua mutandi, transferendi, deserendi, vel etiam renunciandi.

Varia privilegia antiqua recensentur.

124. Licet olim de jure antiquo non possent Religiosi mendicantes accipere nova loca, domus, seu monasteria, nec accepta deserere, aut in alium locum transmutare absque Sedis Apostolicæ auctoritate, & licentia c. 1. de excessibus Prælatorum in 6. Clemens. unica de penis, &

c. unico de Religiosis domibus in 6. Nihilominus post istas Constitutiones nova, & diversa prædiere privilegia alia magis, alia minus ampla, & contra tenorem dictorum Canonum, concedentia Prælati, ut absque licentia Pontificis, nova possint erigere monasteria. Et quidem aliqua illorum nec licentiam Ordinariorum ad hoc exigunt, ut est illud Sixti V. Bulla incipiente *Super Specula*. hanc facultatem Fulienfibus concedentis, & illud Julij II. Bulla incipiente: *Exponi nobis fecisti*, pro Prædicatoribus, ut habetur in priv. mendicantium, verbo *adificare* §. 10. Alia sunt quæ licet Ordinarij licentiam expectandam discernant; nullum tamen aliarum personarum cujuscumque Ordinis consensum expectandum esse statuunt, ut est illud, quod Paulus V. nobis Carmelitis Excalceatis concessit in Bulla incipiente, *Ad Ecclesia militanti*, data Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 12. Dec. an. 1605. in qua indulgetur Superioribus, & Religiosis Carmelitis Discalceatis, ut ubique locorum in suo districtu monasteria erigere valeant de sola Ordinarij licentia, nullo alio Regularium requisito consensu; & hoc motu proprio, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis. A quo benigno Pontifice, etiam Monachi S. Mariæ Fulienfis idem obtinuerunt Constit. 10. ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Ad Ecclesia*. an. 1608. & simile ab eodem Pontifice privilegium impetrarunt Patres Congregationis S. Pauli Decollati, ut habetur in ejus constit. 64 quæ incipit: *Ecclesia* 8. Maij. 1610.

Supradi-  
cta pri-  
vilegia  
revocata  
sunt à di-  
versis  
Pontifi-  
cibus.

125. Cæterum hæc omnia privi-  
legia, & concessionis erigendi nova  
monasteria, vel absque licentia Ordina-  
rii, vel absque aliorum Ordinum  
consensu, revocata sunt à S. Con-  
greg. sub Gregorio XV. die 17. Augu-  
sti 1621. & ab Urbano VIII. in sua  
Constitutione 27. quæ incipit: *Roma-  
nus Pontifex* die 28. Augusti an. 1624.  
ubi revocat, & annullat omnes licen-  
tias, & facultates à Prædecessoribus  
Suis concessas fundandi, erigendi,  
constituendi ubique locorum Do-  
mus, Monasteria, Conventus, Colle-  
gia, & alia Loca Regularia præter  
vel contra Sacrorum canonum, &  
Concilij Tridentini formam; prohibetque  
& interdicit Superioribus  
omnibus Regularium in virtute san-  
ctæ obedientiæ, ac sub privationis  
vocis activæ, & passivæ, & officio-  
rum quorumcumque, & excommu-  
nicationis ipso facto incurrendis pœ-  
nis, ne licentiarum hujusmodi revo-  
catarum, seu quovis alio prætextu, vel  
causa, etiam quantumvis privilegia-  
ta, nova Monasteria, Collegia, Do-  
mus, Conventus, nisi de expressâ Oc-  
dinariorum licentia, ac servata in om-  
nibus & per omnia sacrorum Cano-  
num, & Concilij Tridentini formâ,  
nec non Constitutione Clementis  
VIII. quæ incipit: *quoniam ad institu-  
tam*. Romæ die 23. Julij anno 1603.  
expedita, ac decretorum de manda-  
to ejusdem Clementis VIII. & Gre-  
gorij XV. de super editorum attentio-  
tenore recipere, erigere seu fundare  
audeant, vel præsumant: De quo Bar-  
bosa lib. 2. de jure Eccles. cap. 12. nu. 15.  
Tambur. tom. 3. de jure Abbat. dispus. 5.

quæst. 1. num. 5. Lezana tom. 1. part.  
1. cap. 9. à num. 34. & tom. 3. verbo Mo-  
nasteria Regular. num. 2. quæ omnia  
ut clarius explicemus, punctum hoc  
dividemus in diversos paragrafos.

### §. I.

*Quid requiratur ad erectionem novi  
monasterij ex Concilio Tridentino, nec  
non ex Clementis VIII. Gregorij  
XV. & Urbani VIII.  
Constitutionibus.*

126. **T**Ria his temporibus omni-  
no servanda sunt, quæ pro-  
erigendis novis monasteriis, decer-  
nuntur à Concilio Tridentino, Cle-  
mente VIII. Gregorio XV. quæque  
ab Urbano VIII. & Sacra Congre-  
gatione per proprias & speciales re-  
vocatorias, ampliata, & omnino ser-  
vari præcepta fuerunt. Primum est,  
quod in erigendis novis Monasterijs,  
debeat primo Episcopi, in cujus dio-  
cesi construenda sunt, licentia præce-  
dere: prout habetur in Tridentino  
sess. 25. de Regularibus c. 5. in fin. ibi: *nec  
de cætero similia loca erigantur, sine E-  
piscopi, in cujus diocesi erigenda sunt, li-  
centia prius obtenta*. Quod etiam ha-  
betur c. 1. cum sequentibus 8. quæst. 2. &  
in cap. olim. 2. de privil. cap. auctoritate  
eodem titul. in 6. Hanc licentiam Epif-  
copus electus, & confirmatus con-  
cedere potest, licet nondum conse-  
cratus sit, quia est actus jurisdictionis,  
& concedi non potest à Vicario Ge-  
nerali Episcopi, nisi ad hoc habeat ex-  
pressam, & particularem facultatem:  
nec

Decre-  
tum  
Concilij  
Triden-  
tini pro-  
ponitur,  
& expli-  
catur.

nec à Vicario Capitulari sede vacante, quod ex diversis declarationibus Sacrae Congregationis, docet Novarius in lucerna Regularium, verb. Monasterium n. 2. Pellizz. tract. 8. cap. 7. sect. 2. num. 33. Lezana tom. 3. verb. Monasteria Regul. nu. 3. Barbof. in collectan. Bullar. verb. Monasteria n. 1. § Sed oppositum, nisi obstat Sacrae Congregationis declaratio, pluribus citatis docet Zespedes de immunitate disp. 21. n. 3. Quia Vicarius Episcopi vere est, & dici potest Ordinarius, sicut etiam Vicarius Capitularis: & addit hanc licentiam dari posse à quocumque habente jurisdictionem quasi Episcopalem; nam illi omnes jurisdictionem Ordinariam habent vel ex canone, aut consuetudine, aut privilegio, & sic veniunt nomine Ordinarij.

Decre-  
tum Cle-  
mentis  
VIII. &  
Sacrae  
Congre-  
gationis  
sub Gre-  
gorio  
XV.

127. Secundo observandum est ab ipsis Ordinarijs, in concessione talis licentiae, id, quod praecipit Clemens VIII. in Constitutione, Quoniam ad instituta, nimirum: Locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujuscumque Mendicantium Ordinis, in civitatibus, & locis eorum Ordinariae jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs interesse habentibus, & causa servatis servandis, cognita, constiterit, in eisdem civitatibus, & locis, novos hujusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse. § Tertio observandum est decretum Sacrae Congregationis sub Gregorio XV. editum, in quo praecipitur, ne aliqua Monasteria de

novo erigantur, nisi in eis saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis elemosynis sustentari valeant, ac Priores seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum, Congregationum, vel Societatum, non solum in praedictis, sed etiam in alijs per quatuor millia passuum circumvicinis locis existentium vocati & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alijs Ordinarijs locorum constituerit Religiosos Monasterij sic erigendi absque detrimento Religiosorum in Monasterijs, seu Domibus antea in civitatibus, seu locis hujusmodi erectis, degentium, ibi in numero duodecim commode, & congrue manu teneri, & alijs posse. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio vel societas hujusmodi instituenda erunt, nullique alij Regularis inibi reperiantur Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirent, an locorum incolae, & habitatores (quorum & consensum requirant, ac adhibeant) hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut praemittitur, instituendis commode alere, & manu tenere valeant.

128. Sed pro observantia praedicti decreti Gregorij XV. specialiter Urbanij Concilij, in decretis de celebratione eadem missarum editis sub Urbano VIII. an. 1625. haec praecipit: Deinceps verotiam, Monasterium, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum nullibi recipiatur, nisi praeter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis, duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, ac consuetis elemosynis, de-

tractu omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant ad praescriptum decreti Felic. recordationis Gregor. XV. hac de re editi; Alioquin Monasteria, & Loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitaverint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimoda jurisdictioni subjecta esse intelligantur. § Hæc autem omnia confirmantur, & innovantur ab Urbano VIII. in Constitut. Romanus Pontifex, quæ habetur tom. 4. Bull. inter constitutiones ejusdem Urb. VIII. nu. 2. in qua revocat omnes, & quascumque licentias, & facultates religionibus quibuscumque concessas, ad erigenda nova monasteria absque supradictis conditionibus, & addit: Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, caterisque personis, ad quas spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, ac passivæ, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon excommunicationis ipso facto, incurrendis pœnis interdicens, & prohibemus; ne licentiarum, seu facultatum, per nos, ut præfertur revocatarum, & annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domus, & alia loca Regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentiâ, ac attentis in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Conc. Trident. necnon Constitut. Felicis recordationis Clem. VIII. qua in-

cipit: Quoniam ad institutam, ac decretorum de mandato ejusdem Clementis, necnon Gregorij XV. Pontificum prædecessorum de super editorum servatâ forma recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incipere finire, vel absolvere audeant, seu præsumant.

129. Ex quo manifeste constat, Quatuor Tria modo observanda esse in novis construendis monasteriis. Primum Episcopi diocæsani seu ordinarij loci expressam licentiam, secundum Tridentinum esse petendam, Secundo, vocandos esse Priores, & Procuratores, aliosque in eo interesse habentes, & requirendos juxta constitutionem Clem. VIII. an ipsis incommoda sint, & nociva, nova erigenda monasteria. Ac denique non esse construenda monasteria, nisi in eis ex redditibus & alijs consuetis elemosynis commode duodecim religiosi sustentari possint, juxta decretum Congregationis sub Gregorio XV. confirmatum, & approbatum à Sacra Congreg. sub Urb. VIII. illa appolita pœna non observantibus: ut Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimoda jurisdictioni, talia Monasteria erecta absque eo quod duodecim fratres, in eis valeant habitare, & de facto habitent, subjecta esse intelligantur. Quæ omnia manent in suo robore, & vigore, & tenentur ea Prælati Regulares observare sub peccato mortali, & sub pœnis in dicta Bulla Urbani VIII. contentis. Ita communiter Doctores Tambur. tomo 3. disp. 5. quest. 1. per totam, Barbosa de jure Ecclesiast. lib. 2. cap. 12. à n. 6. Rodriquez quest. Regular. tom. 2. quest. 49. artic. 9. Lezana

tom. 1. parte 1. c. 9. n. 35. & tom. 3. verb. *Monasteria*, n. 3. Pellizz. tract. 8. cap. 7. sect. 2. à numero 90. Peyrin. tomo 1. *Privileg. Minim. in Constit.* Pyrri §. 9. & tomo 2. in *Constitutione 6. Gregorij XV. Navarr. in Manual. cap. 27. n. 142.* § Cæterum licet pœnæ impositæ per Constitutionem Urbani VIII. ipso facto incurrantur, ut constat ex verbis adductis; nulla tamen illarum reservata est; cum ibi de tali reservatione nullum verbum: inseratur proinde à suis superioribus & à quocumque Confessario Regulari habente facultatem absolvendi à Censurâ non reservata absolvi possunt, qui similes pœnas incurrunt; & aliquibus possunt relaxari Pellizzar. num. 89. & 103. Lezana verb. *Monasteria* nu. 11. Tambur. num. 15. Navarr. 144.

Novum monasterium fundari non potest quin duodecim Religiosos sustentare valeat.

130. Sed quantum attinet ad tertium requisitum, quod nova Monasteria etiam Mendicantium, minime erigantur, nisi in eis ex redditibus, & consuetis elemosynis duodecim Religiosi valeant sustentari; notandum est, quod redditus, & elemosynæ consuetæ tales esse debent, ut sufficiant ad sustentandos dictos duodecim Religiosos commodè, & decenter; ita ut victum, & vestitum juxta loci consuetudinem, & personarum ibi commorantium qualitatem (habita etiam ratione aliorum onerum, ad quæ tenetur Monasterium) habere possint; & quod hæc Religiosi non cogantur importuna mendicare, aliove modo indecenti sibi comparare. Id enim voluit Greg. XV illis verbis: *congrue, & commodè manuteneri, & alii possunt.* Et illis: *commodè alere, & manuteneri valeant.* Quod

idem habetur in decreto Urb. VIII. At vero si sit probabilis spes, ut reditus, & elemosynæ in brevi augeantur, admitti poterit fundatio Monasterij, non habentis ab initio reditus, & elemosynas sufficientes ad alendos commode duodecim Religiosos: quia ita præsumendum est de benigna Pontificis voluntate, ut tenet Pellizzar. num. 95. & 96.

131. Et circa secundum, quod Confessor Ordinarius ad dandam prædictam susalio-licentiam erigendi novum Monasterium convocare debet Religiosos aliorum Ordinum illius loci, ut suum re- consensus præbeant: Notandum est quiritur primo, Quod si Episcopo constitit ut con- nullum detrimentum ex tali Monasterio de novo erecto, aliis eventum denovo- denovo fundetur rum Ordinum convocare Prælato; hoc enim innunt illa verba decreti Sacræ Congregationis à Greg. XV. & ab Urb. VIII. approbati: *Vel alias Ordinarijs locorum constitit Religiosos Monasterij sic erigendi absque detrimento, &c.* Cespedes cap. 1. disp. 4. n. 4. Lezana verb. *Monasteria*, n. 7. Pellizz. n. 90. Immo ad construendum Monasterium, quod est certum de victu, vestitu, &c. ob redditus, quos habet, sufficere licentiam Ordinarij absque consensu aliorum Religiosorum, cum cesset finis Bullæ illum requirentis, docet ipse Cespedes disp. 8. nu. 1. ex Navarro, & ex utroque Pellizz. n. 90. *versu, Unde infert.* Addit etiam N. Lezana n. 7. & Pellizz. *versu Immo*, ex Venero in *examin. lib. 6. cap. 10. n. 8.* Quod si Regulares alij erectioni novi monasterij contradicant absque

que ratione, vel (quod absit) ex mala voluntate, poterit Ordinarius non expectato illorum consensu concedere dictam licentiam. Imo addit Venerus hæc verba: (Episcopus solum tenetur in scriptis redigere ea, quæ ab unoquoque proferuntur, & dare terminum unicuique ad probandum: sed postea ipse solus poterit dare, vel denegare licentiam ædificandi absq; dependentia aliorum.) § Unde infert probabiliter Peyrin. in *formular. lit. Z. cap. 3. in Appendic. 5. n. 4* Quod si aliqua Religio fundare vellet monasterium in aliquo loco cum obligatione non quærendi eleemosynas (addit Lezana *nu. 6. nec faciendi aliquid, ex quo aliquod detrimentum alijs Religiosis obveniret*) non esset necessarium alias religiones convocare; nam cessat finis dictarum Constitutionum. (Unde video (ait Doctissimus Lezana *loco citato*) declarasse Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium 31. Januarij 1642. posse Fratres Reformatos S. Bernardi fundare Monasterium sine consensu aliorum Regularium ejusdem loci, dummodo habeant redditus sufficientes pro sustentatione duodecim Religiosorum sine quæstuatione.)

132. Notandum est secundo, Quod in dictis prohibitionibus non comprehenduntur hospitia; quia appellatione Monasteriorum, Domorum, aut habitationum, non venit hospitium; quia propriè ibi habitare non dicuntur Religiosi, ubi tanquam viatores existunt. Et tunc hoc maxime eveniret, si Religiosi in eo existentes, nec campanas pulsarent, nec elee-

mosynas quærirarent, Missas non reciperent, & Ecclesiam, in qua publicè celebrarent, non haberent. Has limitationes ponit N. Lezana *nu. 6.* quia ex talibus hospitibus nullum alijs detrimentum infertur. Sed absque illis id docet Tamb. *tom. 3. de jure abbat. dist. 5. quæst. 1. n. 10.* Riccius *in praxi decis. 652.* Peyrin. *tom. 3. privileg. Minim. in Constit. 3. alias 13. Urb. VIII. Bordon. in resolut. resol. 41. n. 6.* § An vero prædictæ solemnitates requirantur quando in eadem civitate fit mutatio Monasterij de uno loco in alium? dicemus §. 3. agentes de mutatione, vel translatione Monasteriorum. § Et an observandæ sint dictæ conditiones, quando aliquod Monasterium destruitur, aut deseritur, & postea recuperatur, aut reædificatur, §. 4. dicemus, de hac agentes materia.

133. Notandum est tertio. Quod <sup>Quid</sup> ut novum Monasterium construat <sup>Episcopus</sup> debet Episcopus convocare non solum Religiosos in eodem loco <sup>non</sup> degentes, sed etiam illos, qui degunt <sup>contra</sup> extra illum per quatuor millia passuum, <sup>causa</sup> quia sic habetur in decreto Gregorij <sup>causam</sup> XV. n. 127. relato. § Si vero Episcopus <sup>causam</sup> modo dicto non convocatis <sup>causam</sup> dictis Religiosis illius oppidi, & per <sup>causam</sup> quatuor millia passuum distantibus, <sup>causam</sup> licentiam construendi novum Monasterium concedat, <sup>causam</sup> reventibus illis, & hi à tali licentia in sui <sup>causam</sup> damnum concessa appellent, (quæ appellatio <sup>causam</sup> solum ad Sedem Apostolicam fieri potest) tunc debet Episcopus suspendere executionem, & Pontifici remittere omnia, <sup>causam</sup> expectare ut ipse in tali causa <sup>causam</sup> sententiam

larita-  
tem, si  
reus oc-  
cidatur,  
aut mu-  
tiletur.

tem non exceptis, non poterit Præla-  
tus, reum Curiaē ſæculari tradere ipſo  
repugnante, quantumvis illa ſecuri-  
tatem, aut etiam juramentum præſtet  
de ejus impunitate; quia tunc gaudet  
delinquens immunitate, quæ præci-  
pue conſiſtit in eo, quod delinquens  
non poſſit invictus à loco Sacro ex-  
trahi, & judicari. *Lezana tom. 2. verb.  
immunitas, num. 22. Pellizzar. tract. 8.  
cap. 5. ſect. 1. num. 39. & 45. Bonac. diſp.  
3. quaſt. 7. §. 7. num. 12. Palaus tom. 2.  
tract. 11. diſp. unic. punct. 13. num. 2.*  
Unde Eccleſiaſtici, vel Regulares  
tradentes reum Curiaē ſæculari in ca-  
ſibus non exceptis, ſi inde mors, aut  
mutilatio ipſius ſequatur, incurrunt  
irregularitatem: quia cenſentur mor-  
ti, aut mutilationi illius cooperari.  
*Rodriguez tom. 2. quaſt. 50. artic. 2.  
Lezana num. 22.* qui bene ait, Præla-  
tos non defendentes reum, ſed per-  
mittentes eum extrahi, incurrere  
hanc irregularitatem; quia ipſis ex  
juſtitiâ, & officio incumbit tueri im-  
munitatem Eccleſiarum. § In caſibus  
vero exceptis, attendit à Conſtitutione  
Gregorianâ, & conſuetudine jam re-  
ceptâ non exigitur juramentum à ju-  
dice ſæculari, de non puniendo  
reum, nec ipſi judices illud præſtare  
tenentur, licet id exigantur, *cap. reum,  
cap. conſtituimus 17. quaſt. 4.* Sed libere  
ipſis eſt tradendus, puniendus pro  
qualitate delicti, ac ſi ad Eccleſiam  
minime confugiſſet: quia nihil tale  
confugium reo prodeſſe poteſt in di-  
ctis caſibus exceptis. *Farinacius in  
Append. de immunit. capite ultim. nume-  
ro 343. Bonacina §. 7. in fine. numero 5  
Lezana num. 25.* Hæc autem traditio

deber fieri de mandato Epifcopi, vel  
ejus Vicarij, per aliquam Eccleſiaſti-  
cam perſonam ab eo, deputatam,  
prius cognito per Epifcopum, vel per  
deputatum ab eò, an reus verè excep-  
ta crimina commiferit, ut in dicta  
Gregorij XIV. Conſtitutione expreſ-  
ſe habetur.

120. Ex quo ſequitur, quod, ſpe- Ex con-  
ctato ſaltem juris rigore in *cap. deſi- ſuetudi-  
nivit. capite conſtituimus, capite reum ne, ad ex-  
17. quaſt. 4.* & maxime in *Bulla Gre- trahen-  
goriana,* (ubi id expreſſe cavetur) non dum  
poteſt judex laicus adhuc in caſibus reum ab  
exceptis extrahere delinquentem ab Eccleſia  
Eccleſia abſque licentia Epifcopi, vel in caſi-  
ejus Officialis: ſed ex recepta nunc bus ex-  
conſuetudine, & praxi communi poſ- ceptis,  
ſunt judices ſæculares in caſibus cla- non re-  
re exceptis, in conſulto Epifcopo reos quiritur  
ab Eccleſia extrahere; quia illi non licentia  
gaudent immunitate Eccleſiæ, & ſic Epifcopi  
nec ab ea defendi poſſunt, ut aſſerunt  
*Suarez lib. 3. cap. 13. n. 1. Palaus punct.  
13. num. 4. Azevedo in Conſtitut. Hiſ-  
pan. lib. 1. titul. 2. leg. 3. num. 29. Co-  
varruv. 2. variar. cap. 20. numero 18.  
verſ. 34. Farinacius de carcerib. quaſt. 28.  
num. 75.* Sed ſi dubium ſit, an caſus ſit  
exceptus, vel non; non poterit judex  
laicus vi inde extrahere reum; quia  
immunitas conceſſa eſt omnibus de-  
linquentibus extra caſus exceptos: er-  
go quoties non conſtiterit commi-  
ſiſſe caſum exceptum, illa ſpoliari  
non poterit. *Decianus tract. crimin.  
lib. 6. cap. 29. num. 2. Farinacius in Ap-  
pendic. de immunit. cap. ultim. n. 370.*

121. Sed ad quem judicem per- Coguof-  
tinebit cognitio, & caſus ſit excep- cere an  
tus, vel non? Reſponderetur hoc perti- caſus ſit

O o o n e r e

exceptus  
pertinet  
ad Epif-  
copum.

nere ad Episcopum solum, vel ad alium ab eo deputatum, ut habetur in dicta Gregoriana ibi: *nisi cognito prius per Episcopum, vel per alium ab eo deputatum, an delinquentes, verò crimina excepta commiserint, & habetur cap. metuentes, cap. ad Episcopum 17. quest. 4. & ex jure civili, l. Pateant, §. hoc vero C. de his, qui ad Eccles. confugiunt. Quia causæ Ecclesiasticæ cognitio, qualis est immunitas Ecclesiarum, ad Ecclesiasticum Prælatum debet pertinere: neque ob id sequitur Episcopum in propria causa jus dicere: quia hic non agitur de causa illius, sed de causa communi Ecclesiæ. Pellizzar. numero 40. Lezana numero 28. Bonacina §. 7. numero 2. vers. 3. Fatinacius numero 366. & 367. Azevedo supra num. 20. Gutiere, pract. quest. civilium lib. 3. quest. 1. numero 5. §. Cum autem dicimus ad solum Episcopum, vel ejus deputatum pertinere, intelligi debet de vero Episcopo, non autem de inferiori: idque licet is sit Ordinarius, aut nullius diocesis. Unde si coningat delinquentem se recipere in locum Sacrum exemptum, aut nullius diocesis, facultas extrahendi illum, obtineri debet ab Episcopo viciniore; quia ita disponit Gregorius XIV. in sua citata Constitutione. Sede autem vacante adendum est Vicarius capitularis, utpote succedens in omni jurisdictione Episcopi. §. Quare hoc decidere, ad Episcopum, non vero ad Prælatos Regulares pertinebit: & sic solum ex ejus autoritate, & licentia poterit ex monasterio delinquens extrahi in casibus exceptis, ad effectum consignandi illum Curia seculari, ut ex-*

preste dicitur in dicta Bulla, & ita tenent Bordon. n. 7. & 8. Barbol. supra num. 156 & 157. Lezana num. 28.

122. Cæterum licet ad hoc ut Episcopus, vel ab ipso deputatus tradat reum judici seculari, debeat cognoscere, an ille commiserit aliquod ex delictis exceptis, & non teneatur stare processui factò à Curia seculari, quia potest illum habere suspectum, utpote factum in causa propria ipsius contententis; potest tamen illi stare, si prudenter credat esse legitime factum, & se posse uti illo ad suam conscientiam informandam. Palaus, Pellizzar, Lezana, Bordon. locis citatis. Regulariter autem loquendo Episcopus debet novas probationes facere, summarie tamen, & quam citius fieri potest expediendas, ac extra ordinem juris, cum totum hoc suo iudicio, & arbitrio committatur. Porro debet Episcopus de delictò commissò cognoscere non solum ex præsumptionibus, aut conjecturis rem probabilem efficientibus: quia Ecclesia jus habet tuendi omnes delinquentes ad se confugientes, nisi in casibus exceptis; ergo, dum cerò non constitit Episcopo casum esse exceptum, injustè illo jure privat Ecclesiam: Sed per præsumptiones, & probabiles conjecturas non sufficienter aut cerò constat de delictò commissò, cum tales non sufficiant ad tollendum ab alio jus quæsitum, nec vincant præsumptionem orram ex possessione immunitatis in jure fundatam: ergo, & c. Bonac. §. 7. circa finem. Fatinacius cap. ultim. n. 8. & sequent. Palaus n. 8. Pel-

Examen  
facien-  
dum ab  
Episco-  
po ut  
tradat  
reum ju-  
dici se-  
culari.

Pellizzar. num. 40. Lezana num. 28.  
 123. Demum Episcopus non debet extrahere reum ab Ecclesia, vel monasterio Regularium, sine consensu proprii Prælati illius, cum iste sit talis loci patronus. Immo neque ipse Episcopus sine consensu Prælati Regularis extrahere potest ab Ecclesiis Regularium Clericum sibi subditum ad eas post delicta confugientem, etiam si Clericus non gaudeat immunitate contra suum Episcopum juxta dicta §. 2. non quidem ratione immunitatis Ecclesiæ, quam supponimus non suffragari Clericis contra ipsorum Episcopum; sed ob exemptionem, quam habent monasteria, & loca Regularium: quia Episcopus nullam potest exercere jurisdictionem in loco exempto, cum locus exemptus comparetur loco extra territorium existenti, ut supra n. 3. dicebamus, & jus dicenti extra territorium impune non pareatur. Unde sicut Episcopus nequit punire ibi degentes, sic nec potest eos inde extrahere. Zelpe-des de exemptione disput. 228. num. 6. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 1. nu. 44.

PUNCTUM IV.

De privilegiis concessis Regularibus nova monasteria fundandi, & antiqua mutandi, transferendi, deserendi, vel etiam renunciandi.

Varia privilegia antiqua recensentur.

124. Licet olim de jure antiquo non possent Religiosi mendicantes accipere nova loca, domus, seu monasteria, nec accepta deserere, aut in alium locum transmutare absque Sedis Apostolicæ auctoritate, & licentia c. 1. de excessibus Prælatorum in 6. Clement. unica de pœnis, &

c. unico de Religiosis domibus in 6. Nihilominus post istas Constitutiones nova, & diversa prodire privilegia alia magis, alia minus ampla, & contra tenorem dictorum Canonum, concedentia Prælati, ut absque licentia Pontificis, nova possint erigere monasteria. Et quidem aliqua illorum nec licentiam Ordinarium ad hoc exigunt, ut est illud Sixti V. Bulla incipiente Super specula. hanc facultatem Fulienfibus concedentis, & illud Julij II. Bulla incipiente: Exponi nobis fecisti, pro Prædicatoribus, ut habetur in priv. mendicantium, verbo adificare §. 10. Alia sunt quæ licet Ordinarij licentiam expectandam decernant; nullum tamen aliarum personarum cujuscumque Ordinis consensum expectandum esse statuunt, ut est illud, quod Paulus V. nobis Carmelitis Excalceatis concessit in Bulla incipiente, Ad Ecclesia militantis, data Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 12. Dec. an. 1605. in qua indulgetur Superioribus, & Religiosis Carmelitis Discalceatis, ut ubique locorum in suo districto monasteria erigere valeant de sola Ordinarij licentia, nullo alio Regularium requisito consensu; & hoc motu proprio, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis. A quo benigno Pontifice, etiam Monachi S. Mariæ Fulienfis idem obtinuerunt Constit. 10. ejusdem Pontificis, quæ incipit: Ad Ecclesia. an. 1608. & simile ab eodem Pontifice privilegium impetrarunt Partes Congregationis S. Pauli Decollati, ut habetur in ejus constit. 64. quæ incipit: Ecclesia 8. Maij. 1610.



Supradi-  
cta pri-  
vilegia  
revocata  
sunt à di-  
versis  
Pontifi-  
cibus.

125. Cæterum hæc omnia privi-  
legia, & concessionis erigendi nova  
monasteria, vel absque licentia Ordi-  
narij, vel absque aliorum Ordinum  
consensu, revocata sunt à S. Con-  
greg. sub Gregorio XV. die 17. Augu-  
sti 1621. & ab Urbano VIII. in sua  
Constitutione 27. quæ incipit: *Roma-  
nus Pontifex* die 28. Augusti an. 1624.  
ubi revocat, & annullat omnes licen-  
tias, & facultates à Prædecessoribus  
Suis concessas fundandi, erigendi,  
constituendi ubique locorum Do-  
mus, Monasteria, Conventus, Colle-  
gia, & alia Loca Regularia præter  
vel contra Sacrorum canonum, &  
Concilij Tridentini formam; prohib-  
etque & interdicit Superioribus  
omnibus Regularium in virtute san-  
ctæ obedientiæ, ac sub privationis  
vocis activæ, & passivæ, & officio-  
rum quorumcumque, & excommu-  
nicationis ipso facto incurrendis pœ-  
nis, ne licentiarum hujusmodi revo-  
catarum, seu quovis alio prætextu, vel  
causa, etiam quantumvis privilegia-  
ta, nova Monasteria, Collegia, Do-  
mus, Conventus, nisi de expressâ Or-  
dinariorum licentia, ac servata in om-  
nibus & per omnia sacrorum Cano-  
num, & Concilij Tridentini formâ,  
nec non Constitutione Clementis  
VIII. quæ incipit: *quoniam ad institu-  
tam*. Romæ die 23. Julij anno 1603.  
expedita, ac decretorum de manda-  
to ejusdem Clementis VIII. & Gre-  
gorij XV. de super editorum attentio-  
renore recipere, erigere seu fundare  
audeant, vel præsumant: De quo Bar-  
bosa lib. 2. de jure Eccles. cap. 12. nu. 15.  
Tambur. tom. 3. de jure Abbat. dispus. 5.

quæst. 1. num. 5. Lezana tom. 1. part.  
1. cap. 9. à num. 34. & tom. 3. verbo Mo-  
nasteria Regular. num. 2. quæ omnia  
ut clarius explicemus, punctum hoc  
dividemus in diversos paragraphos.

§. I.

*Quid requiratur ad erectionem novi  
monasterij ex Concilio Tridentino, nec  
non ex Clementis VIII. Gregorij  
XV. & Urbani VIII.  
Constitutionibus.*

126. **T**Ria his temporibus omni-  
no servanda sunt, quæ pro  
erigendis novis monasteriis, decer-  
nuntur à Concilio Tridentino, Cle-  
mente VIII. Gregorio XV. quæque  
ab Urbano VIII. & Sacra Congre-  
gatione per proprias & speciales re-  
vocatorias, ampliata, & omnino ser-  
vari præcepta fuerunt. Primum est,  
quod in erigendis novis Monasterijs,  
debeat primo Episcopi, in cujus diœ-  
cesi construenda sunt, licentia præce-  
dere: prout habetur in Tridentino  
sess. 25. de Regularibus c. 3. in fin. ibi: *nec  
de cætero similia loca erigantur, sine E-  
piscopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, li-  
centia prius obtenta*. Quod etiam ha-  
betur c. 1. cum sequentibus 8. quæst. 2. &  
in cap. olim. 2. de privil. cap. auctoritate  
eodem titul. in 6. Hanc licentiam Epif-  
copus electus, & confirmatus con-  
cedere potest, licet nondum conse-  
cratus sit, quia est actus jurisdictionis,  
& concedi non potest à Vicario Ge-  
nerali Episcopi, nisi ad hoc habeat ex-  
pressam, & particularem facultatem:  
nec

Decre-  
tum  
Concilij  
Triden-  
tini pro-  
ponitur,  
& expli-  
catur.

nec à Vicario Capitulari sede vacante, quod ex diversis declarationibus Sacrae Congregationis, docet Novarius in lucerna Regularium, verb. Monasterium n. 2. Pellizz. tract. 8. cap. 7. sect. 2. num. 33. Lezana tom. 3. verb. Monasteria Regul. nu. 3. Barbof. in collectan. Bullar. verb. Monasteria n. 1. § Sed oppositum, nisi obftet Sacrae Congregationis declaratio, pluribus citatis docet Zespedes de immunitate disp. 21. n. 3. Quia Vicarius Episcopi vere est, & dici potest Ordinarius, sicut etiam Vicarius Capitularis: & addit hanc licentiam dari posse à quocumque habente jurisdictionem quasi Episcopalem; nam illi omnes jurisdictionem Ordinariam habent vel ex canone, aut consuetudine, aut privilegio, & sic veniunt nomine Ordinarij.

Decre-  
tum Cle-  
mentis  
VIII. &  
Sacrae  
Congre-  
gationis  
sub Gre-  
gorio  
XV.

127. Secundo observandum est ab ipsis Ordinarijs, in concessione talis licentiae, id, quod praecipit Clemens VIII. in Constitutione, Quoniam ad instituta, nimirum: Locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujuscumque Mendicantium Ordinis, in civitatibus, & locis eorum Ordinaria jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis, cognita, constiterit, in eisdem civitatibus, & locis, novos hujusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse. § Tertio observandum est decretum Sacrae Congregationis sub Gregorio XV. editum, in quo praecipitur, ne aliqua Monasteria de

novo erigantur, nisi in eis saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis elemosynis sustentari valeant, ac Priores seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum, Congregationum, vel Societatum, non solum in praedictis, sed etiam in alijs per quatuor millia passuum circumvicinis locis existentium vocati & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alijs Ordinarijs locorum constiterit Religiosos Monasterij sic erigendi absque detrimento Religiosorum in Monasterijs, seu Domibus antea in civitatibus, seu locis hujusmodi erectis, degentium, ibi in numero duodecim commode, & congrue manu teneri, & alij posse. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio vel societas hujusmodi instituenda erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirent, an locorum incolae, & habitatores (quorum & consensum requirant, ac adhibeant) hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut praemittitur, instituendis commode alere, & manu tenere valeant.

128. Sed pro observantia praedicti Decreti decreti Gregorij XV. specialiter tum quoad praedictum numerum duodecim Fratrum Sacra Congregatio VIII. Concilij, in decretis de celebratione eadem missarum editis sub Urbano VIII. an. 1625. haec praecipit: Deinceps vero Monasterium, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum nullibi recipiatur, nisi praeter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis, duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, ac consuetis elemosynis, de-

tractu omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant ad prescriptum decreti Felic. recordationis Gregor. XV. hac de re editi; Alioquin Monasteria, & Loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitaverint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimoda jurisdictioni subjecta esse intelligantur. & Hæc autem omnia confirmantur, & innovantur ab Urbano VIII. in Constitut: Romanus Pontifex, quæ habetur tom. 4. Bull. inter constitutiones ejusdem Urb. VIII. nu. 2. in qua revocat omnes, & quascumque licentias, & facultates religionibus quibuscumque concessas, ad erigenda nova monasteria absque supradictis conditionibus, & addit: Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, caterisque personis, ad quas spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, ac passivæ, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon excommunicationis ipso facto, incurrendis pœnis interdiciamus, & prohibemus; nisi licentiarum, seu facultatum, per nos, ut præfertur revocatarum, & annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domus, & alia loca Regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac attentis in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Conc. Trident. necnon Constitue. felicis recordationis Clem. VIII. qua in-

cipit: Quoniam ad institutam, ac decretorum de mandato ejusdem Clementis, necnon Gregorij XV. Pontificum prædecessorum desuper editorum servatâ forma recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incæpta finire, vel absolvere audeant, seu præsumant.

129. Ex quo manifeste constat, Quatuor  
Tria modo observanda esse in novis decretis  
construendis monasteriis. Primum supra re-  
Episcopi diocelani seu ordinarij loca lata om-  
ci expressam licentiam, secundum nino ob-  
Tridentinum esse perendam. Secun- servari  
do, vocandos esse Priores, & Procura- debent.  
ratores, aliosque in eo interesse habentes, & requirendos juxta constitutionem Clem. VIII. an ipsis incommoda sint, & nociva, nova erigenda monasteria. Ac denique non esse construenda monasteria, nisi in eis ex redditibus & alijs consuetis elemosynis commode duodecim religiosi sustentari possint, juxta decretum Congregationis sub Gregorio XV. confirmatum, & approbatum à Sacra Congreg. sub Urb. VIII. illa appositæ pœnæ non observantibus: ut Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimoda jurisdictioni, talia Monasteria erecta absque eo quod duodecim fratres, in eis valeant habitare, & de facto habitent, subjecta esse intelligantur. Quæ omnia manent in suo robore, & vigore, & tenentur ea Prælati Regulares observare sub peccato mortali, & sub pœnis in dicta Bolla Urbani VIII. contentis. Ita communiter Doctores Tambur. tomo 3. disp. 5. quest. 1. per totam, Barbosa de jure Ecclesiast. lib. 2. cap. 12. à n. 6. Rodriquez quest Regular. tom. 2. quest. 49. artic. 9. Lezana  
tomo 1.

tom. 1. parte 1. c. 9. n. 35. & tom. 3. verb. *Monasteria*, n. 3. Pellizz. tract. 8. cap. 7. sect. 2. à numero 90. Peyrin. *tomo 1. Privileg. Minim. in Constit. Pyrrhi* §. 9. & *tomo 2. in Constitutione 6. Gregorij XV.* Navarr. in *Manual. cap. 27. n. 142.* § Cæterum licet pœnæ impositæ per Constitutionem Urbani VIII. ipso facto incurrantur, ut constat ex verbis adductis; nulla tamen illarum reservata est; cum ibi de tali reservatione nullum verbum: inseratur proinde à suis superioribus & à quocumque Confessario Regulari habente facultatem absolvendi à Censurâ non reservata absolvi possunt, qui similes pœnas incurrunt; & aliquibus possunt relaxari Pellizzar. num. 89: & 103. Lezana verb. *Monasteria* nu. 11. Tambur. num. 15. Navarr. 144.

Novum monasterium fundari non potest quin duodecim Religiosos sustentare valeat.

130. Sed quantum attinet ad tertium requisitum, quod nova Monasteria etiam Mendicantium, minime erigantur, nisi in eis ex redditibus, & consuetis elemosynis duodecim Religiosi valeant sustentari; notandum est, quod redditus, & elemosynæ consuetæ tales esse debent, ut sufficiant ad sustentandos dictos duodecim Religiosos commodè, & decenter: jta ut victum, & vestitum juxta loci consuetudinem, & personarum ibi commorantium qualitatem (habita etiam ratione aliorum onerum, ad quæ tenetur Monasterium) habere possint; & quod hæc Religiosi non cogantur importuna mendicitate, aliove modo indecenti sibi comparare. Id enim voluit Greg. XV illis verbis: *congrue, & commodè manereri, & ali possunt.* Et illis: *commodè alere, & manu teneri valeant.* Quod

idem habetur in decreto Urb. VIII. At vero si sit probabilis spes, ut redditus, & elemosynæ in brevi augeantur, admitti poterit fundatio Monasterij, non habentis ab initio redditus, & elemosynas sufficientes ad alendos commode duodecim Religiosos: quia ita præsumendum est de benigna Pontificis voluntate, ut tenet Pellizzar. num. 95. & 96.

131. Et circa secundum, quod Consensus Ordinarius ad dandam prædictam susalio- licentiam erigendi novum Monasterium Religiosos convocare debet Religiosos aliorum Ordinum illius loci, ut tuum consensus præbeant: Notandum est quiritur primo. Quod si Episcopo constiterit ut con- nullum detrimentum ex tali Monasterio de novo erecto, aliis eventibus denovo rum, non tenebitur modo dicto, alio- rum Ordinum convocare Prælatos; hoc enim innuunt illa verba decreti Sac. Congregationis à Greg. XV. & ab Urb. VIII. approbati: *Vel alias Ordinarius locorum constiterit Religiosos Monasterij sic erigendi absque detrimento, &c.* Cespedes cap. 1. disp. 4. n. 4. Lezana verb. *Monasteria*, n. 7. Pellizz. n. 90. Immo ad construendum Monasterium, quod est certum de victu, vestitu, &c. ob redditus, quos habet, sufficere licentiam Ordinarij absque consensu aliorum Religiosorum, cum cesset finis Bullæ illum requirentis, docet ipse Cespedes disp. 8. nu. 1. ex Navarro, & ex utroque Pellizz. n. 90. *versu, Unde insert.* Addit etiam N. Lezana n. 7. & Pellizz. *versu Immo,* ex Venero in *examin. lib. 6. cap. 10. n. 8.* Quod si Regulares alij erectioni novi monasterij contradicant ab- que

que ratione, vel (quod absit) ex mala voluntate, poterit Ordinarius non expectato illorum consensu concedere dictam licentiam. Imo addit Venerus hæc verba: (Episcopus solum tenetur in scriptis redigere ea, quæ ab unoquoque proferuntur, & dare terminum unicuique ad probandum: sed postea ipse solus poterit dare, vel denegare licentiam ædificandi absq; dependentia aliorum.) § Unde infert probabiliter Peyrin. in *formular. lit. Z. cap. 3. in Appendic. s. n. 4* Quod si aliqua Religio fundare vellet monasterium in aliquo loco cum obligatione non quærendi eleemosynas (addit Lezana *nu. 6. nec faciendi aliquid, ex quo aliquod detrimentum alijs Religiosis obveniret*) non esset necessarium alias religiones convocare; nam cessat finis dictarum Constitutionum. (Unde video (ait Doctissimus Lezana loco citato) declarasse Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium 31. Januarij 1642. posse Fratres Reformatos S. Bernardi fundare Monasterium sine consensu aliorum Regularium ejusdem loci, dummodo habeant redditus sufficientes pro sustentatione duodecim Religiosorum sine quæstuatione.)

132. Notandum est secundo, Quod in dictis prohibitionibus non comprehenduntur hospitia; quia appellatione Monasteriorum, Domorum, aut habitationum, non venit hospitium; quia propriè ibi habitare non dicuntur Religiosi, ubi tanquam viatores existunt. Et tunc hoc maxime eveniret, si Religiosi in eo existentes, nec campanas pulsarent, nec elec-

mosynas quærerent, Missas non reciperent, & Ecclesiam, in qua publicè celebrarent, non haberent. Has limitationes ponit N. Lezana *n. 6.* quia ex talibus hospitiiis nullum alijs detrimentum inferitur, Sed absque illis id docet Tamb. *tom. 3. de jure Abbat. disp. 5. quest. 1. n. 10.* Riccius in *praxi decis. 652.* Peyrin. *tom. 3. privileg. Minim. in Constit. 3. alias 13. Urb. VIII. Bordon. in resolut. resol. 41. n. 6.* § An vero prædictæ solemnitates requirantur quando in eadem civitate fit mutatio Monasterij de uno loco in alium? dicemus §. 3. agentes de mutatione, vel translatione Monasteriorum. § Et an observanda sint dictæ conditiones, quando aliquod Monasterium destruitur, aut deseritur, & postea recuperatur, aut reædificatur, §. 4. dicemus, de hac agentes materia.

133. Notandum est tertio, Quod Quod ut novum Monasterium construat Episcopus debet Episcopus convocare non solum Religiosos in eodem loco degentes, sed etiam illos, qui degunt extra illum per quatuor millia passuum, quia sic habetur in decreto Gregorij XV. *n. 127.* relato. § Si vero Episcopus modo dicto non convocatis dictis Religiosis illius oppidi, & per beati quatuor millia passuum distantibus, licentiam construendi novum Monasterium concedat, reventibus illis, & hi à tali licentia in sui damnum concessa appellent, (quæ appellatio solum ad Sedem Apostolicam fieri potest) tunc debet Episcopus suspendere executionem, & Pontifici remittere omnia, expectanteque ut ipse in tali causa sententiam

rentiam pronuntiet; ut clarè habetur ex decreto sacre Congregationis, jussu Gregorii XV. edito, & ex Bulla Clementis VIII. suprà relata, tenentque Venerus *lib. 6. c. 10. num. 11.* Johannes à Cruce *de privilegiis, lib. 2. cap. 9. dub. 1. num. 1.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. sect. 2. num. 90. versu si verò, & n. 94.* § Ac denique, si Episcopus absque forma in decreto Clementis VIII. & Constitutionibus Gregorii XV. ac Urbani VIII. præscripta licentiam concedat (præterquam in casibus *num. 131. exceptis*) invalida est talis concessio: quia in Bulla Clementis VIII. decretum irritans continetur, quod nullitatem operatur, & omnia in oppositum destruit. Gratian. *lib. 3. disceptione forens. cap. 527.* Tamburin. *tomo 3. de jure Abbat. disput. 5. quest. 1. num. 11.* à Cruce *num. 1.* Celspedes *disput. 22. num. 1.*

134. Quartò notandum est, quòd forma hucusque præscripta pro fundatione novi Monasterii Virorum cum tribus conditionibus, *num. 129.* assignatis, servanda etiam est in erectione Monasterii novi Monialium; quia sic declarasse sacram Congregationem Concilii 19. Decemb. 1620. docet Barbosa *lib. 2. de jure Eccles. cap. 12. num. 7.* Tamburin. *de jure Abbatissarum, disput. 33. quest. 1. nu. 4.* Lezana *tom. 3. verb. Monasteria, nu. 5.* Unde non licet Ordinariis licentiam dare ædificandi dicta Monasteria Monialium, nisi vocatis prius, & auditis Prælatis locorum ubi erigenda sunt, & aliis interesse habentibus. § Imò Ordinarius in erectione alicujus novi Monasterii Monialium,

debet audire, consensumque petere Abbatissarum, seu Priorissarum, & Prælatorum aliorum Monasteriorum Monialium in eodem loco, vel in circuitu quatuor milliarium dependentium. Quod denotare videntur illa verba Clementis VIII. *aliisque interesse habentibus.* Nam habentes in hac re interesse, sunt Priorissæ aliarum Monialium, & aliæ præfatæ Personæ, uti docet Celspedes *disput. 33. num. 1.* § Sed nota circa erectionem Monasteriorum Monialium dari quandam declarationem Sacre Congregationis Episcoporum, & Regularium, quam refert Barbosa *loco citato, num. 10.* & in *collectan. Bullar. verbo Monasteria Monial. num. 10.* tenoris sequentis: *Monasteria Monialium non erigantur, nisi Ordinariis locorum consentientibus, & nisi in his dumtaxat locis, quæ muro unita sunt, & in quibus adest Presbyterorum Sæcularium, vel Regularium copia ad audiendas earum confessiones, nisi in facultatibus habeant Moniales, ut Confessarium aliunde ascitum sustentare valeant.* Cui consonat Tridentinum *sess. 25. de reformat. cap. 5.* ubi Monasteria Monialium extra urbis vel oppidi mœnia constituta, intra urbes, vel oppida frequentia debet transferri; & ideo consequenter prohibet ne extra mœnia, aut extra urbes, & oppida ædificari possint: nam licet Gregorius Papa in *cap. luminoso 18. quest. 2.* illa in solitudinibus condi permiserit: modò tamen ex Tridentini & Sacre Congregationis decreto extra civitatem construi prohibentur: ne malorum hominum prædæ, & aliis fa-

Ppp cino;

cinoribus sint absque custodia exposita. Barbola loco citato. Ugolin. de potestate Episcopi. c. 21. in princip. num. 1. Venerus in examine Episcop. libro 6. cap. 21. num. 13. Lezana verb. Monasteria. num. 10.

Licentiam Pontificis ad fundationem novi Monasterii requiri aliqui dicunt. 135. Restat modò gravem enodare difficultatem. An nimirum modò præter tres conditiones assignatas requiratur etiam ad hoc ut Religiosi nova Monasteria construere possint, sedis Apostolicæ auctoritas, & facultas? Multi affirmativè respondent. Quia in supra relata Constitutione Urbani VIII. dicitur: *Ac servata in omnibus. & per omnia Sacrorum Canonum forma*: Sed in sacris Canonibus cap. 1. de excessibus Prelator. in 6. & cap. unic. de Religios. domibus, eodem libro; exprimitur licentia Papæ: ergo modò post tale decretum Urbani præter supra dictas conditiones, licentia Summi Pontificis est obtinenda. Atque ita declarasse sacram Congregationem refert Barbola in declarationibus ad cap. 3. sess. 25 Concilii, per hæc verba: *Mora. hi non possunt edificare Monasteria in Parochia, in qua ea non habent, sine cognitione, & licentia Papæ.* Atque etiam tenent Hieronym. Rodriguez in compend. resolut. 55. num. 22. Campanile in diversor. juris Canonice. rubric. 12. cap. 18 num. 8. Barbola de jure Eccles. lib. 2. c. 12. num. 11. Pellizzar. tract. 8. cap. 7. sect. 2. num. 92. Tamburin. de jure Abbat. disp. 33. quest. 1. num. 3. & tom. 3. de jure Abbatum, disput. 5. quest. 1. numer. 3.

Verior sententia 136. Sed oppositum probabilius judicamus, Quia Pontifex Urbanus

VIII. solum videtur loqui in ea Constitutione de illis Religiosis, qui facultates, seu licentias ad fundanda Monasteria non servata debita forma, post Concilium Tridentinum, & Clementis VIII. obtinuerunt, de quibus mentionem fecimus nu. 124. non de illis, qui ante Concilium privilegia, & indulta ad id obtinuerunt: quales sunt Minimi ex Julio II. & Carmelita ex Sixto IV. prout refert Calartubius in compend. privilegiorum Mendicantium verbo *edificare*, num. 18 & 20. quibus privilegiis non derogat Concilium, sed solum præcipit, quod Monasteria non erigantur absque Episcopi Diocesani licentia. Unde relinquit, quoad non expectandam Sedis Apostolicæ licentiam, in suo robore privilegia antiqua. Sacræ autem Congregationis declaratio, est authentica sit, (de quo non constat) vel loquitur in aliquo casu particulari, ideoque non derogat omnibus: quia res inter alios acta, alios nocere non debet. Vel certè loquitur spectato jure communi antiquo; non velò suppositis privilegiis ante Concilium obtentis, & ab ipso non revocatis: & ita videtur praxi, & consuetudine receptum. Lezana tom. 3. verb. Monasteria, num. 4. Noster Thomas à Jeto super Regul. Carmelitar. part. 3. cap. 2. glossa 2. § *pro cuius*. Suarez tom. 5. in 3. part. disput. 23. sect. 5. num. 33. Rodriguez tom. 2. quest. Regul. quest. 49. artic. 3. Sorbus in annoeat. ad compend. Mendicant. §. 20. Celspedes cap. 1. de exempt. disput. 2. n. 4. Bruno Cassaing. de privileg. tract. 4. cap. 6. proposit. 12.

## S. II.

*Qualiter in erigendis novis Monasteriis servanda sit certa distantia inter unum Monasterium, & aliud?*

Privilegium  
cannarum  
explicatur.

137. **Q**UAMVIS privilegia, quæ dicuntur *cannarum*, quibus certa distantia assignatur, quæ intercedere debet inter novum fundandum Monasterium, & alia jam fundata videantur inutilia his temporibus, quandoquidem ob decreta adducta, & explicata *S. procedenti*, nulla Monasteria de novo constitui possunt, nisi ex consensu Priorum, seu procuratorum aliorum Conventuum ejusdem oppidi, vel per quatuor miliaria ab eo distitorum, quod est majus spatium, quam illud, quod per dicta privilegia conceditur. Nihilominus, quia dicta privilegia utilia sunt, tum in casibus illis de quibus locuti sumus *num. 131*. in quibus Episcopus absque aliorum Religiosorum consensu licentiam concedere potest. Tum etiam in casibus, in quibus dicta decreta per abrogationem, vel dispensationem, vel consuetudinem, vel per alium quemcumque modum desinunt obligare; Sciendum est, nomine *cannarum* intelligi mensuram octo palmorum mensuræ Hispanicæ. Miranda *in manual. tom. 1. quest. 33. art. 4.* Barbosa *de jure Ecclesiast. lib. 2. cap. 12. num. 75.* & illud spatium *cannarum* mensurandum est à janua antiquæ Ecclesiæ, ad alteram recen-

ter ædificatæ, licet aliunde horri essent contigui, ut ex declaratione Pontificis facta in quadam lite inter Fratres Minores, & Prædicatores Burgigalæ testatur Beuno *tract. 4. cap. 6. propos. 13.*

138. Quibus suppositis, plura circa Diversa præfens extant privilegia. Nam Clemens IV. ut refert Pottellus *in dubiis Regularibus, verbo Monasterium, num. 1* concessit Minoribus, & reliquis Mendicantes, aut quæcumque aliæ Religionis in paupertate fundatæ possent ædificare Monasteria intra spatium 300. Cannarum ab ipsorum Conventibus, mensurandarum per aerem, ubi alias rectè mensurari loci dispositio non permetteret. Consimile privilegium concessit idem Clemens Ordini Fratrum Prædicatorum, ut testatur Joannes à Cruce *de privileg. lib. 2. cap. 9. conclus. 3.* Atque idem Clemens IV. concessit Carmelitis Nostri, ut constat ex mari magno Carmelitarum Bulla 42. ne alii Ordines Mendicantes, Ecclesiæ, vel Monasteria ædificare, recipere, aut inhabitare possent juxta loca prædicti Ordinis intra spatium 140. cannarum mensurandarum per aera, ubi alias non permetteret loci dispositio alio modo mensurari, decernens, quidquid secus factum fuerit, irritum, & inane fore. Quod privilegium confirmavit, & innovavit Sixtus IV. in eodem mari magno *num. 23.* prohibitionem illam extendens non solum ad Mendicantes, sed etiam ad quoscumque alios Religiosos, & Ecclesiasticas personas. Casarub. *in compend. privileg. Mendicant.*

Ppp 2

verb.

verb. adificare, num. 16. & 19. Lezana tom. 3. verb. Monasteria, num. 19. Item ex concessione Urbani IV. nulla ædificia construi possunt intra unum milliare ab Abbatibus, & locis Ordinis Cisterciensium, sub excommunicationis pœna (quæ non est lata, sed ferendæ sententiæ) ut habetur in *compend. Cisterciensium verbo adificare, §. fin. & ex privileg. Sixti IV. pro Carthasianis* statutum est, ne intra dimidiam leucam à terminis possessionis ipsorū, alicui religioni liceret quodlibet ædificium construere, vel possessiones acquirere. Cafarrub. nu. 20. § Sed Minimi habuerunt facultatem fundandi Monasteria etiam non distantia à Monasteriis aliorum Ordinum per 140. cannas à Julio II. ut testatur Peyrin, tom. 1. privileg. Minim. in constitut. 7. Julii II. quod etiam Jesuitæ obtinuerunt per privilegium à Gregorio XIII. Portel. in dub. Regul. verb. Monasterium, num. 3. Barbot. de jure Eccles. lib. 2. cap. 12. n. 17. Miranda tom. 1. quest. 33. art. 4.

Modo prodest privilegium canarum etiam in civitatibus magnis.

139. Sed circa hæc notandum est primò, Quod licet in civitatibus non sint in utroque prædicta privilegia canarum, cum plura diversorum Regularium reperiantur Monasteria valde conjuncta, & vicinissimè ædificata, & ita decisum fuisse sæpius à Sede Apostolica testetur Sorbus in annotationibus ad *compend. privileg. Mendicant. verbo adificare, §. 1. Peyrin. tom. 1. privileg. Minimor. in Constit. 7. Julii II. num. 1.* Nihilominus si Regulares, quorum inter est, velint reclamare allegantes prædicta privilegia; omnino audiendi sunt: ut multoties se

Romæ vidisse practitari testatur Lezana tom. 3. verb. Monasteria, numero 20.

140. Secundò est notandum, in his omnibus privilegiis reperiri communicationem privilegiorum, quam cõmuniter habent Regulares. Quod etiam dicimus de privilegio illo Julii II. pro Minimis relato, & de privilegio Gregorii III. pro Patribus Jesuitis, (licet in eo dicatur illis esse singulariter concessum, & aliis incommunicabile; ob idque ipsi contendant aliis Religionibus minimè cõmunicari posse) secundum à nobis dicta hoc tractatu cap. 1. num. 107. & modò tene: Bruno tract. 4. cap. 6. *proposit. 13. versu Potest primo.* Lezana loco citato, num. 20. Qui addit in tali privilegio Gregorii XIII. nullam inferi clausulam incommunicabilitatis, Quantum mihi constat, neque video quo fundamento hoc dicatur (inquit Lezana) cum potius videam in Bulla Salvatoris quæ est ejusdem Gregorii in 2. tom. Bullarii inter Constitutiones ipsius, num. 39. prædictum privilegium, quod à Pio IV. erat ipsis concessum ab eodem Gregorio confirmari sine dicta restrictione, quod aliis Religiosis communicari non possit. § Imò secundum ea, quæ loco citato num. 103. diximus, si aliqua Religio ex Mendicantibus, cui prius concessum est privilegium canarum, vellet fundare Monasterium juxta Monasterium alterius, cui solum per communicationem tale privilegium convenit, potest hæc defendere se contra illam privilegio illo canarum alteri concessio: quia per com-

Privilegium dicitur per communicationem prodest aliis.

Privilegium dicitur per communicationem prodest aliis.

communicationem sunt privilegia ita propria communicantis independenter ab alia, ac si ipsi essent specialiter primò concessa. Rodriguez *quest. Regul. tom. 1. quest. 49. art. 5. Confect. in summ. privileg. Mendicantis. 1. 8. num. 1. Lezana tom. 1. part. 2. cap. 1. num. 57. & tom. 3. verb. privileg. Regular. num. 24.* § Sed in praxi hoc observatur, ut secundum illam regulam juris: *Qui prior est tempore, potior est jure*, faveatur Monasterio prius erecto; ita quod illud, quod de novo est construendum, semper debeat per prædictas cannas ab antiquiori distare.

§. III.

*Qualiter, & quo jure possint Regulares sua Monasteria mutare, seu de uno in alium locum transferre.*

Sine licentia Pontificis potest Monasterium de uno ad alium locum transferri.

141. **A**sterendum est, quod licet ex jure antiquo in capite primo, de excessibus Prælatorum in 6. Clement. cupientes, de pœnis, & cap. unico, de Religios. domibus in 6. non liceret Mendicantibus Monasteria mutare sine Sedis Apostolicæ licentia, nisi mutatio in eremos facienda esset: nihilominus ex privilegio possunt Prælati Regulares hoc tempore transferre Monasteria fundata in locis sterilibus, & inaquosis, vel salutis, aut eorum observantiæ Regularium minus idoneis, & proportionatis, ad alia loca magis idonea, cum suis red-

ditibus, fructibus & proventibus, & bona sua secum ferre, & vendere ædificia, & fundum, præter Ecclesias. Ita concessit Benedictinis Vallisoletanis Pius II. Bulla 6. apud Rodriguez in Bullar. Idem concessit Sixtus V. 7. Kalend. Decembris anno 1580. Abbati generali Congregationis S. Benedicti Regnor. Portugal. prout refert Hieronymus Rodriguez in compend. quest. Regular. resol. 55. Portel. in dubiis Regular. verbo Monasteria, num. 7. Idem concessit Sixtus IV. Minoribus in Bulla incipiente, Regimini, apud Emanuelem Rodriguez in bullario, Bulla 14. ejusdem §. 35. Idem Sixtus IV. concessit idem Prædicatoribus Bulla 14. & Alexander IV. Bulla 7. ut Joannes à Cruce refert de privileg. lib. 2. cap. 9. dubio 1. conclus. 2. & Minimis Julius II. in Constitutione incipiente Virtute, §. 2. apud Peyrin. tomo 1. privileg. Minimo-rum, in Julio II. num. 2. & his privilegiis uti possunt non solum præfatæ Religiones, quibus concessa sunt; sed alia, quæ cum ipsis habent communicationem privilegiorum. Lezana tomo 3. verb. Monasteria, nu. 38. Confectius in summa privileg. titul. 48. capite 3. Miranda supra questione 33. artic. 2.

142. Sed notandum est primò. Possunt Quod ex vi istorum privilegiorum qui ad possunt tam Religiones, quibus conceduntur, quam communicantes locum cum illis in privilegiis, omnia bona transfere-mobilia, etiam pretiosa secum ferre, runtur, calices, paramenta, & reliqua omnia, omnia quæ in priori habebant Monasterio, sua bona & materiam ipsam ædificatorum secum Con. portare.

Ppp 3

Con. portare.

Conventuum, ligna, lapides, &c. & cymbala, horologia, & altarium imagines, & reliqua omnia, quæ in antiquo Monasterio erant, ad novum transferre possunt, absque eo, quod Ordinarij in hoc se possint ingerere, ut patet ex supradictis privilegiis. Sed Ecclesias debent relinquere integras, quas nullo modo profanare, aut usibus profanis laicorum addicere possunt: *Quia semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum, ex regula semel juris. in 6. & ut dicitur in cap. ligna, de consecrat. dist. 1. Ligna Ecclesia dedicata non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus; in laicorum vero usum non debent admitti.*

§ Secundò notandum est hujusmodi Monasteria, seu loca Regularium derelicta, non esse in habitacula secularium, vel laicorum convertenda, nec cum secularibus commutanda, vel eis quovis commercio vendenda: uti cavetur in cap. Nemini, cum sequentibus 16. quest. 7. cap. qua semel 16. quest. 3. Quamvis magnæ alicujus necessitatis ergo, & rationabili existente causâ, de consensu Episcopi possit monasterium deseri, vel destrui, & profanis usibus addici. Ad quod refert Naldus in summ. verb. Ecclesia, nu. 23. declarationem quandam S. Congregationis, in qua habetur, quod Ordinarij arbitrio relinquatur, quando Ecclesiæ dirutæ converti possint in privatas domos, aut loca publica, sed ad usus sordidos deputari non debent; & pecunia ex ipsis comparata, est convertenda in bona stabilia

Ecclesiæ, vel eroganda in alios pios usus. Hieronym. Rodríguez in compend. quest. Regular. resolut. 55. num. 7. Barbosa lib. 2. de jure Ecclesiast. cap. 12. num. 59. Miranda quest. 33. artic. 1. conclus. 1. § Tertiò notandum est, Quòd quando Monasterium de uno in alium locum transfertur, non amittit jura, & privilegia, quæ habebat; sed post translationem retinet eadem privilegia, & jura: quia Ecclesia, Civitas, Castrum, Collegium, ac alia loca, si Superioris auctoritate in alium locum transferantur, adhuc sua jura, privilegia, & exemptiones retinent, uti docet Glossa in cap. privilegium, de Regul. jur. in 6. ergo idem dicendum est de Monasterio. Tamburin. tom. 3. de jure Abbatum, disp. 5. q. 6. n. 1.

143. Cæterum restat quandam <sup>Triplex</sup> resolvere quæstionem: An nimirum <sup>modus</sup> solemnitates, & conditiones <sup>quo tri-</sup> supra n. <sup>lato ho-</sup> 129. recensitæ, requisitæ pro fundatione <sup>ri possit</sup> novi Monasterii, requirantur, <sup>exple-</sup> quando jam fundatum de uno in alium locum transfertur, & singulariter an debeat Ordinarij licentia præcedere, & consensus aliorum Ordinum in eodem loco, vel per circuitum quatuor miliarium degentium?

§ Pro quorum decisione notandum est ex sapientissimo nostro Lezana verbo Monasteria, num. 38. hujusmodi mutationem, seu translationem Monasteriorum tripliciter posse contingere: Primò quidem, ita ut acquiratur novum Monasterium, & non derelinquatur antiquum: & talis modus cum potius sit acquisitio novi Monasterii, quam mutatio; eadem for-

forma, & solemnitas pro illo requiritur, quam requiri diximus §. 1. pro nova erectione Monasterii, Secundo modo ita ut deferatur antiquum Monasterium, & non acquiratur novum: & hoc modo certum est non requiri prædictas conditiones, ut ex se constat. Tertio modo ita ut deferatur antiquum Monasterium, & in eodem oppido novum ædificetur, & de hoc modo procedit quaestio, ad cuius resolutionem supponitur, quod de novo erigendum sit & ædificandum in oppido, vel propè istud, nec non pro casu quo aliis posset præjudicium afferri: cuius sublato periculo, ut si ad locum transferretur, patet quid dicendum. §. Item supponitur, quod translatio fiat de uno loco in alium intra eandem, vel propè eandem civitatem, villam, vel oppidum, si enim translatio fieret ex una civitate, aut oppido, ad aliud, vel aliam, procul dubio requirerentur ad illam omnes conditiones, & solemnitates desideratae in decretis Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. de quibus §. 1. loquuti sumus: quia in illis est sermo de novorum Conventuum erectione, ut ex verbis ipsorum liquido constat. Quando autem Monasterium transfertur de una civitate ad aliam, propriissime dicitur, ibi de novo erigi Monasterium, imò novum absolute ædificari: ergo. Maxime, quia in tali mutatione, seu translatione, potest & debet attendi ratio motiva, propter quam Pontifices prædicta edidèrè decreta, quæ fuit cavere, ne damnum seu præjudicium aliis Monasteriis

inferatur. Videatur Riccius in decis. Curia Neapolitana decis. 168. Cherubin. in compend. Bullarii, in Constitut. 99. Clementis VIII. schol. 1. §. Quare dubium solum procedit, quando jam fundatum in illo oppido Monasterium deferitur, & intra illud, vel propè illud, ad alium locum transfertur.

144. In quo, aliorum placitis relicto, asserimus nullam ex dictis conditionibus ad talem translationem Monasterii (quamvis consultius sit illas adhiberi) nisi fortè ratione propinquitatis ad aliud Monasterium, juxta quod de novo transfertur, inferretur præjudicium: quia tunc istud privilegio cannarum uti posset, ad talem Religionem impedendam. Quod formam autem solemnitates prædictæ, ut sunt licentia Episcopi, & aliorum Religiosorum consensus non requiruntur, Probatur primò: quia in privilegiis supra numero 128. additis conceditur nobis Camillus Discealceatis à Paulo V. facultas ædificandi cum licentia Ordinarii non expectato aliarum Religionum consensu, & à Sixto V. aliis, aliis Julio II. quod etiam absque licentia Ordinarii, possint ubique locorum Monasteria erigere: & hoc nobis concessum fuit cum revocatione decreti Clementis VIII. in Bulla, quæ incipit: *Quoniam ad institutam, & Capituli primi, de excessibus Prælatorum in 6.* quæ privilegia licet (ut nos diximus num. 125.) revocata, & cassata sint ab Urbano VIII. non extenditur tamen illa revocatoria Urbani, nisi ad erectionem, vel foundationem novi Monasterii,

In translatione Monasterii nec licentia Ordinarii, nec aliorum Religiosorum consensus non requiruntur.

sterii, domus, aut Collegii. Sed quando de uno in alium locum transferitur Monasterium jam fundatum, intra eandem urbem, non dicitur novum Monasterium de novo erigi: ergo pro tali casu relicta sunt in suo robore dicta privilegia, & minimè revocata. § Secundò (quo præcedens probatio magis roboratur) quia in Constitutionibus, & Decretis Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. nullum est verbum denotans, sub eis comprehendi mutationem, seu translationem istam, de qua loquimur: quia solum est in eis sermo de novorum Conventuum erectione, ut patet ex verbis ipsorum *supra* §. 1. adductis: cum tamen de illa expressa mentio fieri deberet: quia sæpius circa ipsam multæ lites, & controversiæ Romæ apud sacram Congregationem excitantur & agitantur.

**Uterius** 145. Tertiò eadem assertio probatur: quia in translatione unius Monasterii de uno loco in alium intra eandem civitatem, villam, aut oppidum, non militat ratio illa motiva: quæ moti sunt Pontifices ad talia decreta edenda, quibus caveatur ne multiplicatis foundationibus per novas erectiones Monasteriorum, Conventibus, & Ecclesiis antiquis, aliquod præjudicium fiat. Hæc enim ratio cessat in nostro casu: quia jam supponitur fundatum in urbe Monasterium, & Regulares Monasterii, quod muratur, sive transfertur, habent jus ad commorandum, permanendum, & quærendas elemosynas, missas, & alia, in dicta civitate, vel

oppido: ergo. § Quarto denique: quia sic declarasse sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium die 13. Septembris anno 1641. pro Patribus Capucinis, testatur Noster Lezana *tomo tertio, verbo Monasteria, numero 33.* ubi dicit sacram Congregationem declarasse mutationem huius Conventus non esse novam erectionem, nec comprehendi Constitutionibus Apostolicis super erectione novorum locorum editis. Sic Rodriguez *tomo secundo, quest. Regular. questione 49. articulo 9.* Lezana *loco citato, & tomo primo, capite nono, numero 35.* Miranda *in Manuali, tomo primo, questione 33. articulo secundo.* Diana *tertia parte, tractatu secundo, resolutione 136.* Peyrin. *tomo secundo, privileg. Minor. in Constitus. 6. Gregorii XV. & tomo tertio, capite undecimo, numero decimo octavo,* Tamburin. *tomo tertio de jure Abbat. disputatione quinta, questione prima, numero nono, & decimo quarto.* Barbosa *de jure Ecclesiastico libro secundo, capite duodecimo, numero sexto,* alter Rodriguez *in compend. resolutione § 5. numero quarto.* Pellizzar. *tractatu octavo, capite septimo, sectione secunda, numero nonagesimo primo.* Celspedes *de exempt. disputatione septima.* Navarr. *titul. de edificatione Monaster. super Bulla Urbani VIII. num. 7. & alii.*

§. IV.

An, & quomodo Regulares deserere possint Monasteria adificata?

Monasteria dimitti possunt sine licentia Sedis Apostolicae.

146. **E** Gimus §. *precedenti* de mutatione Monasteriorum, & de derelictione Monasterii cum translatione illius ad alium locum: modo de omnimoda illius derelictione, absque eo, quod ad alium locum saltem intra eandem urbem transferatur, agendum est; Et quidem hanc quoque ex jure communi antiquo esse prohibitam Mendicantibus facere absque expressa licentia Sedis Apostolicae, constat ex *capite primo, de excessibus Pralatorum in 6. cap. unico, de Religios. domibus eodem libro, sicut etiam ex Clementina cupientes, de penis*. Sed extat circa hoc privilegium Sixti IV. concessum Fratribus Minoribus, quod refert Confectius in *collectan. literarum Apostolicarum Bulla 12. & Casarrubius in compend. verbo adficare, numero octavo, his verbis: Idem Sixtus concessit Generali Fratrum Minorum de observantia licentiam, & facultatem, ea loca, quae Fratribus suis minus commoda esse cognoverit, dimittendi in manibus Ordinariorum locorum, & illa liberè deserendi prout eis visum fuerit expedire*. Etiam Urbanus VIII. concessit Ordini Minorum per Bullam relata à Peyrin. *tom. 3. privileg. c. 12. Quod Generalis dicti Ordinis suppressere possit Conventus tenues, eorum bona transferendo cum oneribus annexis, in Conventus ma-*

jores. Aliam concessionem similem priori Sixti IV. factam à Sixto V. Generali Ord. S. Bened. in Portugal. refert Rodrig *quest. Regul. tom. 2. q. 49. art. 2.* quæ privilegia aliis communicantur Religiosis, cum istis communicationem habentibus, ut notat Confectius in *sum. privil. tit. 18. cap. 3. Lezana tom. 3. verb. Monasteria, n. 43. §. Casu autem quod Monasterium aliquod deseratur à Regularibus, & Religiosi illius trā feratur ad aliud Monasterium, bona Monasterii derelicti acquiruntur Monasterio, ad quod Religiosi transferuntur. Si tamē contingat Monasterium penitus destitui, & Religiosos peste, bello, aut aliave ratione omnino extingui; tunc bona Monasterii subjacent liberae dispositioni Papæ. Miranda *to. 1. q. 34. art. 3. Rodrig. u. 3. q. 5. art. 4. & 6. §. Videatur à nobis dicta §. precedenti, n. 142.**

147. Sed quia in privilegiis *num. precedenti* adductis ponitur illa clausula: *Dimittendi in manibus Ordinariorum locorum*: Notandum est cum Lezana verbo *Monasteria, num. 44. Pellizzari tract. 8. c. 7. sect. 2. n. 108. versu an autem regulares.* esse talia Monasteria derelinquenda in triplici differtentia. Alia sunt, quæ ab oppidis vel urbibus concessa sunt Regularibus: & de istis procedit illa clausula, nisi quod quando deseruntur, in manibus Ordinariorum dimittantur: quia ad illos jure communi pertinent jura Ecclesiarum, & locorum piorum. Alia sunt, quæ ipsi Regulares elemosynis acquisitis, vel propriis redditibus construxerunt, quæ non debent deseri in manibus Ordinariorum;

rum: sed possunt illa Regulares vendere, alienare, ac commutare, servata solemnitate pro bonis immobilibus alienandis præscriptâ, de qua latè egimus hoc tomo tract. 1. §. de statu Religioso, cap. 7. punct. 2. Nullo enim jure habetur, quòd dicti Religiosi teneantur ea, quæ sua sunt ab ipsis justè acquisita, Ordinario tradere. Alia denique sunt, quæ sunt juris Patronatus alicujus Patroni ratione foundationis, constructionis, aut donationis; & tunc distinguendum est. Vel enim tales Patroni in contractu foundationis retinuerunt sibi dominium illorum locorum, in casu, quo Religiosi illa dere inquerent, vel non? Si primum; ad Patronos pertinent talia Monasteria, seu loca derelicta. Si secundum; idem dicendum est de illis, ac de locis, & Monasteriis ex eleemosynis acquisitis, ac redditibus Religiosorum erectis; de quibus ad ipsos pertinet Religiosos, modo quo libuerit, disponere. Addit Lezana dicto num. in fine. (Id tamen animadvertendum pro Fratribus minoribus, quòd cum ipsa bona in communi non possideant, sicut aliæ Religiones ea possident; ideo hujusmodi Monasteria, seu loca Regularia vel ab illis, ex eleemosynis constructa, vel à Patronis concessa, transeunt in dominium, & proprietatem Sedis Apostolicæ: & ita posse illos uti privilegio adducto, prædicta Monasteria in manibus Ordinariorum deserendi; siquidem ipsamet Sedes Apostolica hoc illis concedit in eodem privilegio. Rodriguez supra art. 7. §. Quantum autem, Quod intelligatur tantum,

quantum ad Ecclesias, & oratoria, & cœmeterium: nam quantum ad dormitorium, & officinas, seu loca alia Monasterii, ea pertinent ad Patronos, seu fundatores, prout expressè habet Nicolaus III. in cap. exim, de verborum significatione.)

147. Verum est modò difficultas an si Regulares spontè omninò reliquissent aliquod Monasterium, & postea illud recipere vellent, necesse sit observare solemnitates, numer. 129. assignatas? Diximus spontè: quia si per vim, aut metum injustè illatum, Regulares sua loca, vel Monasteria deserere cogantur, ut contingit in derelictione Monasteriorum in partibus hæreticorum, in Anglia, Hybernia, Saxonia, &c. & contingere possent tempore belli, pestis, aut alterius damni imminētis, ad illa recuperanda non requiri prædictas solemnitates omnibus est notum. Tum, quia decreta illa, & Constitutiones, ut ex ipsis constat, solum loquuntur de nova erectione Monasteriorum, nō autem de recuperatione illorum, quæ per vim, aut metum ab illis fuerunt ablata, vel ab eis deserta. Tum etiam: quia semper illorum dominium mansit apud Religiosos: qui licet per illam injustam ablationem, vel etiam derelictionem belli tempore privati fuerint illorum possessione, non tamen dominio: sicuti qui tempore tempestatis projicit bona sua in mare, eorum dominium non amittit, nec ab aliis ipso invito illa occupari possunt. §. Quod verum habet, nisi Monasterium, v.g. penitus eversum sit tempore belli, ita, quòd nec

nec fundamenta illius remanserint: nam tunc Episcopi licentia requiritur ad ejus erectionem, ob decretum Concilii Tridentini, quia sic ædificatio reputatur nova; non tamen vocandi sunt de necessitate alii Religiosi, aut consensus eorum expectandus; cum damnum, aut præjudicium, quod illis sit non sit novum, sed jam antiquum. Si tamen penitus eversum Monasterium non fuerit, quia videlicet ejus fundamenta remanent, cum non sit nova ædificatio, sed veteris reparatio, nec Ordinarii licentia requiritur. *Cespedes disp. 10. § 13. nu. 3 Pelliz. num. 91.*

Nec autem Monasterium sponte relicto resumat, requiruntur dictæ solemnitates.

148. Quæritur autem modò, quando Monasterium sponte à Religiosis relinquitur, & postea volunt ipsimet regulares recuperare, quid juris? affirmant in tali casu requiri solemnitates assignatas in Tridentino, & Constitutionibus Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. nimirum ut licentia obtineatur Ordinarii, & habeatur consensus aliarum Religionum; eò, quòd in ista reassumptione monasterii militet eadem ratio, ac in ejus nova erectione. *Cespedes disputat. 7. Cherubin. in compend. Bullar. in Clement. VIII. Constitut. 99. Peyrin. tom. 2. privileg. Minimor. in constitut. 6. Gregorii XV. num. 2. Pellizzar. supra num. 91. § Qui tamen oppositum tenet eadem sectione secunda, num. 108. versu, At difficultas, cum Lezana verbo Monasteria, num. 46. Rodriguez quest. 49. art. 9. Miranda citat. quest. 33. art. 5. conclus. 1. Et merito: quia illud non est novum, sed antiquum monasterium: & de-*

creta supradicta de novis loquuntur erectionibus monasteriorum, in quorum erectione prima, superatum est illud incommodum, quod aliis ex tali recuperatione sequi poterat, ita ut jam non sit incommodum, aut detrimentum novum, sed antiquum, Nisi fortè ex tali erectione aliis contingat detrimentum supervenire novum præter id, quod antiquitus erat: quia tunc necessarium erit servare dictas solemnitates, eo quòd in tali casu militet eadem ratio, & intentio Summorum Pontificum.

§. V.

Qualiter Regulares unire possint duo, aut plura Monasteria, & unum alteri incorporare.

149. **C**um ob tenuitatem reddituum, vel eleemosynarum defectum, vel certè temporum inopiam, non possunt in monasteriis aliis quibus commodè, & Religiosè Regulares vitam transigere, diversa Pontifices concessere privilegia Prælati, ut unum alteri unire possint, & redditus, bona, ac proventus unius ad aliud transferre, extat ad hoc privilegium Joannis XXIII. concessum Cisterciensibus Abbatibus in Capitulo Generali Congregatis. Quod refert Rodriguez in Bullar. tom. 1. Joan. XXIII. Bull. & Joannis à Cruce de privileg. Regul. lib. 2. & est, ut asserunt, tenoris sequentis: *Ut quæcumque Monasteria dicti Ordinis, tam Mo-*

Privilegia concessa Regularibus, ut unum alteri possint incorporare.

nachorum, quam etiam Monialium, quorum facultates, fructus, & proventus non sufficiunt ad sustentationem tot Regularium Personarum in eisdem Monasteriis, quot in eis pro augmento Divini cultus, ac Missarum, & alius Divinis officii celebrandis secundum ejusdem Ordinis statuta requiruntur, alius Monasteriis Religionis, & Ordinis praedictorum pro commodiori sustentatione degentium in eisdem, & quando pro statu, & quiete hujusmodi personarum id noveritis expedire, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, unum videlicet, alteri Monachorum, & aliud alteri Monialium Monasteriis ejusdem Ordinis. Diocessari loci, aut cujuscumque alterius super hoc licentia minime requisita, liberè, & licitè valeatis incorporare, non obstantibus, &c. Simile huic est privilegium Pii II. concessum Priori Conventus Vallisoleitani, quod refert Rodriguez in Bull. in Pio II. Bulla 10. & Pey. in. rom. 1. privileg. Minor. in Constitut. 2. Julii II. n. 80. quae ita habet: Duo vel tria Monasteria sive domus dicti Ordinis, in quibus propter exiguitatem fructuum, reddituum, vel proventuum, tres, vel quatuor Monachi sustentari nequeunt; abbatum, & Praelatorum dictorum Monasteriorum, expresso ad id interveniente consensu uniuersorum, annectendi, & incorporandi, ac in aliquo ipsorum Monasteriorum, sive domorum, Monachos usque ad numerum duodecim constituendi, & deputandi. .... necnon fructus & proventus, ac redditus praedictorum omnium Monasteriorum, ut praemittitur uniuersorum, quos pro expressis haberi volumus pro sustentatione Monachorum, in magis accommodis domibus, & Monasteriis commorantium

deputandi, plenam, & liberam tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus, &c.

150. Etiam Urbanus VIII. Bulla supra relata n. 146. facultatem concessit Generalibus Minorum Conuentualium, & Minorum supprimendi, & extinguendi Conuentus tenues, & pauperes; & eorum bona, & onera in alios Conuentus transferendi. Et Innocentius VIII. concessit Praedicatoribus, quod Conuentus non valens sustentare octo religiosos, possit alteri incorporari per Vicarium Congregationis, seu Provincialem cum Diffinitoribus; dummodo hoc sine scandalo fiat, & in Ecclesia loci incorporari non cesset cultus Divinus. Alia diversa privilegia refert Tabur. tom. 3. disp. 8. per totam. Sed in istis, & aliis privilegiis communicant aliae Religiones, quae communicationis habent privilegium; cum non sit ratio quae in aliis, & non in istis talis communicatio suffragetur. Lezana tom. 3. verbo Monasteria, n. 41. Sed ad talem reunionem faciendam, nec Episcopi licentia requiritur: quia in primo privilegio expressè excluditur, & in aliis taci è, quando in eis, Praelatis libera, & absoluta facultas ad hoc conceditur: neque consensus, aut beneplacitum Patronorum, qui praedicta Monasteria edificauerunt, aut dotauerunt: quia de his nulla fit mentio in dictis privilegiis, quamvis obligationem imponant, ut constituitur de redditibus Monasterii uniuersorum Capellanus, qui exequatur onera à Patronis annexa fundationi; & ut cetera onera Conuentus incorporati, cura


Alia ad id pertinet legia recentiorum.

eam redditibus, & proventibus transferant ad Monasterium, cui ille unitur. Pelliz. tract. 8. c. 7. sect. 2. n. 109.

Bona Monasteriorum monialium, quae deferuntur, fratribus sui Ordinis applicantur.

151. Sed notandum est bona Monasteriorum Monialium, quae omnino destituuntur, applicanda esse Monasteriis Fratrum, quibus dicta Moniales erant subjectae, ut concessit nobis Carmelitis Sixtus IV. in Bulla: *Dum attenda meditatione*, quae est Mare Magnum Ordinis, illis verbis: *Cum aliquando contingat Monasteria Monialium dicti Ordinis Monialibus destitui, adeo, ut de eorum reformatione spes nulla super sit, convenientiusque sit, quod illorum sic destitutorum bona ad ipsos Fratres deveniant, quorum erant cura commissa, quam ad alios, illa, quae sic destituta extant, & destitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus, perpetuis usibus Fratrum domibus dicti Ordinis eisdem destituti Monasterii propinquioribus applicamus. Ita ut fratres ipsi possint de illis, & de eorum Monasteriorum structuris, & adificiis, pro eorum voluntate disponere Proviso, quod illorum Ecclesiae, & Oratoria ad profanos usus non recidantur, sed in illis quandoque Divina officia celebrentur. Hæc ultima clausula est conformis sacris Canonibus, sap. quae semel 19. q. 3. juxta supradicta num. 142. Dictam Sixti IV. Bullam referunt Pellizzar. sup. n. 108. Lezana tom. 1. p. 2. c. 25. n. 48. & tom. 2. c. 19. n. 50. Idem concessisse eundem Sixtum IV. Bulla 33. Prædicatoribus testatur ex illis Frater Joannes à Cruce de privileg. lib. 2. c. 9. dub. 2. concl. 2. ubi addit eundem Sixtum IV. Bulla 14. Minoribus concessisse, bona Monasteriorum Monialium destru-*

torum ipsis subjectarum, licet non sint sui Ordinis, applicanda esse Minoribus Monasterii vicinioris.



PUNCTUM V.

De privilegiis eligendi judicem conservatorem, Regularibus concessis.

152. Conservator, ut in presenti accipitur: est judex à Papa delegatus, ad tuendos Regulares ab injuriis illis illatis, & illorum bona, jura, & privilegia defendenda. Dicitur delegatus: quia Conservator ex jure communi non est judex Ordinarius, cum jurisdictioni illi concessa, non competat ratione officii, sed ratione delegationis. Quod intelligendum est, nisi in Bulla conservatoria expressè concedatur, ut Conservator tanquam judex Ordinarius procedat: quod Conservatoribus Religionum, ob earum privilegia competere, infra dicemus. Dicitur à Papa delegatus, vel constitutus: quia solius Summi Pontificis est, hos judices Conservatores instituere, seu ad illos instituendos facultatem præbere: quod nec Nuntius, nec Legatus à latere facere potest. Additur denique: *ad tuendos, &c.* quia hic est finis per se intentus in constitutione Conservatorum; ob idque *defensores* etiam vocantur; Cui enim Religiosi in suis causis cum sæcularibus personis, & aliis extraneis, nullum habeant judicem præter Summum Pontificem, ad quem immediatè recurrere magni

Quid sit Conservator, & ob quã rationem sit concessus?

est detrimenti, & incommodi tam pro ipsis, quam pro aliis, qui cum Regularibus, quoadque lites habent, ideo Summi Pontifices, ut huiusmodi incommodis occurrerent, pro eisdem Regularibus iudices Conservatores statuere, qui eos defenderent à manifestis injuriis: & ex hoc Conservatores vocantur, *cap. 1. & final. de Officio iudicis deleg. in 6.* materiam istam pro praxi adeo necessariam aliqui nimis breviter percurrunt, alii latissimè tractant; media via incidimus, in tres §§. Punctum istud dividentes. In primo privilegia eligendi Conservatores proponemus, & modum, & formam talis electionis explicabimus. In secundo qualitates pro eligendis in Conservatores in jure, & privilegiis requisitas. In tertio amplitudinem potestatis, ac jurisdictionis illorum ponderabimus.

## §. I.

*Diversa proponuntur privilegia, pro Conservatoribus eligendis, & quomodo designati teneantur electionem acceptare, necnon modus, quo eligendi sunt, explicatur.*

Privilegia pro eligendis iudicibus conservatoribus, 153. Omnes Regulares utriusque sexus habent à Sede Apostolica facultatem nominandi, ac designandi iudices Conservatores, qui ipsorum publicent privilegia, ac eisdem Religiosis efficacis defensionis præsidio assistant, & faciant eos gau-

dere privilegiortum suorum pacifica possessione, non permettendo per alios quoscumque eos molestari, & adversus molestatos per censuras procedendo; etiamsi opus fuerit invocando auxilium brachii secularis. Sic enim concessit nobis Carmelitis Sixtus IV. in celebri ille Bulla: *Dum attendit*, quæ est *Mare magnum Ordinis*, & idem eundem Sixtum IV. concessisse quatuor Ordinibus mendicantibus, testatur Rodriguez *tom. 1. qq. Regular. quest. 65. art. 5.* Specialiter hoc habent Patres Dominicani à Pio V. Bulla incipiente: *Ad hoc nos Deus*, in compend. Prædicatorum, ut testatur M. Fr. Joannes à Cruce *tract. de privileg. lib. 2. cap. 10. initio*, & Julius II. in Bulla. *Alias venerabilem*, anno 1507. edita. Idem concessit idipsum Ordini Minimorum, teste Laurent. Peytin. *tom. 1. privileg. Minimor. ad Constitut. Julii II. num. 4.* Idem eisdem Minimis concessit Clemens VII. Bulla *Conquestionem*, anno 1524. Amplissimam etiam circa hoc concessionem fecit Greg. XIII. Societati Jesu in Bulla: *Æquum reputantes*, quæ est inter Bullas hujus Pontificis in 2. *tom. Bullar. num. 1.* De aliis etiam privilegiis circa hoc Ordinibus concessis, latè agit Barboza *de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. à num. 5.* Sed hæc modo recensuimus, quia ad illa multoties toto hoc puncto recurremus. § Porro in omnibus dictis privilegiis, & aliis, quæ præmittimus, communicant omnes Religiones, quæ privilegium habent communicationis cum aliis, uti docet Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 3. nu. 17. & part. 2. cap.*

cap. 10. num. 5. & supponit Ioannes à Cruce lib. 2. cap. 10. per totum, ac sic esse decisum à Sacra Congregatione restatur Barbosa in collect. bullar. verb. Conservator.

Conser-  
vatores  
electi  
tenentur  
suam e-  
lectio-  
nem ac-  
ceptare.

154. Conservatores autem electi à Regularibus ex vi horum privilegiorum, nisi Religiosi fuerint, tenentur sub peccato mortali hoc munus acceptare; ob speciale mandatum Summorum Pontificum, qui id ipsis præcipiunt sub gravissimis pœnis. Nam Julius II. id præcipit sub pœna excommunicationis. Pius V. idem jubet sub excommunicationis, & suspensionis pœna, lata sententiæ soli Papæ reservata. Rodríguez qq. Regul. tom. 1. quest. 65. art. 4. Pellizzar. tract. 8. cap. 8. sect. 4. num. 97. Pottel. in dub. Regul. verb. Conservatores, num. 3. N. Antonius à Spiritu sancto tract. 2. de privileg. disp. 1. sect. 4. num. 268. Peyrin. tom. 1. privileg. Minor. Constitut. 4. Julii II. num. 30. Lezana tom. 1. parte 3. cap. 10. num. 18. § Diximus nisi Regulares fuerint. Nam isti ex privilegio speciali ipsis concessio, non tenentur acceptare iudicaturas, vel commissiones à Sede Apostolica iunctas. Ita concessit Carmelitis Sixtus IV. Bulla 37. Prædicatoribus Honorius V. Bulla 6. Minoribus Gregorius IX. Bulla 2. & Cælestinis, ac Benedictinis Eugenius IV. illis in Bulla 7. isti in Bulla 9. ut restatur Doctissimus Dominicanus Joannes à Cruce tract. 1. de privileg. lib. 2. cap. 10. dub. 1. conclus. 3. § Nobis autem Carmelitis Excalceatis prohibetur Conservatoris iudicis vice fungi, nisi ex mandato expresse Summi Ponti-

ficis, sub pœna privationis officii, & vocis, ac loci per sex menses; in nostris constitutionibus, ab Alexandro VII. confirmatis 3. part. cap. 13. numero 5.

155. Semel autem designato Conservatore pro una causa, eoque acceptante, non potest alius pro eadem causa nominari: quia jam talis nominatus auctoritatem habet à Sede Apostolica pro illa causa. Qua privari non potest, nisi gravitate de novo urgente, ut si nominatus, infirmitate, aut alia iusta causa impediatur à prosecutione talis causæ; vel si nolit, aut malitiose in ea procedat. A Cruce dub. 1. concl. 4. Lezana numer. 19. Antonius à Spiritu sancto num. 208. Rodríguez tom. 1. quest. 65. art. 1. § Ex privilegiis autem supra relatis, specialiter ex privilegio Pii V. Bulla 28. pro Prædicatoribus, & Gregor. XIII. Bulla 18. pro Jesuitis, quilibet Conservatorum potest prosequi articulum per alium inchoatum, licet qui inchoavit, nullo sit Canonico impedimento præpeditus.

156. At ipse iudex Conservator licet ex jure communi non possit alterum subdelegare ex cap. final. de officio deleg. in 6. ut num. 152. dicebamus, exceptis citationibus, & sententiarum denuntiationibus, nisi aliter eis committatur; Sunt enim iudices delegati, & tales ut in dicto cap. final. dicitur: *Vices suas nulli committere possunt, nisi hoc eis competierit ex beneficio litterarum.* Nihilominus attentis supra relatis privilegiis, id manifeste potest: quia in eis conceditur facultas ad delegandum suam jurisdictionem & au-

Semel uno electo Conservatore, non potest pro illa causa alius eligi.

Judex Conservator Regularium potest aliis suas vices committere.

& auctoritatem, ut patet ex Bulla Sixti IV. pro Carmelitis, illis verbis: *per se, vel alium, vel alios, &c.* & Clementis VII. pro Minimis: *per vos, vel alium, seu alios.* Quod idem concessit Gregorius XIII. pro Jesuitis: imo ibi expressè eos iudices Ordinarios appellavit, & merito; Nam dantur ad universitatem causarum, ut patet ex illis verbis Sixti IV. pro Carmelitis: *In quibuscumque causis per eos promovendis, quacumque ratione.* Quod idem indulgit Clemens VII. Minimis, Pius V. Dominicanis, & Gregorius XIII. Jesuitis: iudex autem ad universitatem causarum, Ordinarius est, ut tradit Glossa *cap. cum causam, de appellationibus*; & sic potest subdelegatos creare, aliisque suas vices committere; dummodo isti habeant omnes conditiones, quas pro iudicibus Conservatoribus necessarias esse dicemus §. *sequenti.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 8. sect. 4. num. 81. & 106.* Peyrin. *tom. 1. privileg. Constit. 5. Gregor. IV. §. 1. num. 2.* Tambur. *de jure Abbatum, tom. 3. disp. 17. quest. 1. nu. 6.* Bordon. *tom. 3. resolut. 95. num. 9.* Moneta *de Conservatorib. cap. 7. quest. 2. num. 58.* Rodriguez *tom. 1. quest. 65. art. 10.* Barbolà *de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. num. 2. & 3.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10. num. 25. & 26.* qui benè advertit hinc sequi non esse necessarium, quòd in citatione inferant litteras Conservatorias; sed sufficere si instar aliorum iudicum Ordinarium, de eis constet in actis Notarii Curiae ordinarii.

Morte  
Pontifi-

157. Licet dentur plures auctores asserentes officium Conservatoris

extingui, & expirare per obitum Patris concedentis, quoad negotia non cœpta; eo, quòd Bonifacius VIII. in *cap. final. de offic. iudicis delegati in 6.* dicat: *Officium quoruncumque Conservatorum, quoad non cœpta negotia per obitum concedentis expirare*; quam Constitutionem Gregorius XV. in Bulla, quam multoties hoc puncto infra addacemus, innovavit, & confirmavit, quod est conforme juri communi, secundum quod facultas delegati, re integra, seu in causa non cœpta, a morte, aut morte delegantis expirat. Ita Chokier *de iurisdic. Ordinari in exempt. part. 1. quest. 39. num. 14.* Barbol. *de offic. & potest. Episcop. allegat. 106. num. 50.* §. Nihilominus si attendamus ad privilegia supra adducta Religionum, non cessat munus Conservatorum ob mortem Pontificis, quia eliguntur virtute concessionis factæ Religioni, quæ est perpetua, & ideo etiam talis facultas, & privilegium est reale, non Personale. In illo autem *cap. final.* sermo est de Conservatoriis personalibus, concessis privatis personis; non de realibus concessis Religionibus, quæ sunt perpetuæ. Rodriguez *tom. 1. quest. 65. art. 6.* Miranda *in Manual. tom. 2. quest. 47. art. 6.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10. num. 20.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. dispus. 1. sect. 4. num. 209.*

Sed inquirens primò: quando, & quomodo Conservatores iudices Regularium in cognoscendis causis ipsorum, possunt adhibere Assessorem, Notarium, & testes? Respondetur ex Pellizzar. *sup. num. 112.* N. Lezana

cis non  
expirat  
facultas  
Conser-  
vatoris

Modus  
quo se  
debent  
Conser-  
vatores  
habere

in assu-  
mendis  
Assesso-  
ribus,  
Notariis  
& testi-  
bus.

zana num. 77. quod Bonifacius VIII. in citato cap. final. de offic. deleg. in 6. quod confirmatur, & innovatur per Constitutionem Gregorii XV. infra adducendā observare jubet id, quod ipse alias præceperat de iudicibus delegatis observari, in cap. statutum de rescriptis in 6. ubi sic dicitur: Assessorum autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeat, quod conscientia relinquatur ejusdem, sibi nequaquam adjungat; alioqui de suo proprio teneatur providere eidem. Si autem indigeat, ipsam neutri parti suspectum assumens, et de competentis salario, providere moderando ab eo, faciat à partibus communiter provideri. Notarium verò, vel Notarios in causa sibi commissa scribentes, qui plurimum in exigendo salario metas rationis excedunt (ut ad ipsius spectat officium) prudenter refranet. Nec cum ipsis, aut cum Assessore prefato lucrum participet ullo modo. Si quid autem contra Constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integrā teneatur, nulla eorum quibus restitutio faciendā fuerit remissione nullatenus profuturā eidem. Pro ferendo quoque testimonio (prætextu cujus aliqui alios fraudulenter interdum à iudicibus vocari procurant, ut eos laboribus, & expensis fatigent, aut extorqueant aliquid ab eisdem,) nullam ullatenus convocet, nisi quando conditio, & status causa requirerent. Sed nec tunc (nisi à producente) competentes vocato pro testimonio, veniendo, & redeundo faciat ministrari expensas. Quidquid autem contra præmissa, vel eorum aliquid contigerit attentari, sit ipso jure irritum, & inane. Haec enim Pontifex Bonifacius.

158. Inquires secundò ad quem pertinet Conservatorem nominare, seu designare? Aliqui dicunt hoc private non competere Prælati, sed ipsis cum suo capitulo, seu communitate, cujus consensu debet eligi, seu designari, quia eligitur in favorem totius Monasterii: ergo ad ejus electionem totus Conventus debet concurrere, secundum illam regulam: Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Sic Bordonus tom. 3. resolut. 95. num. 16. Pellizzar. tr. 8. cap. 17. sect. 4. num. 86. § Verum licet hoc ita sit stando in jure communi; nihilominus secundum privilegia superius relata, quæ amplissima sunt, possunt omnes Prælati, etiam locales, imo singuli Religiosi particulares, nominare sibi iudices Conservatores, uti ex concessione Sixti IV. pro Carmelitis. Pii V. pro Prædicatoribus, Julii II. pro Minimis, & Gregorii XIII. pro Jesuitis, probant Lezana supra num. 80. Antonius à Spiritu sancto numero 198. Joannes à Cruce libro 2. cap. 10. initio. § Electus autem in Conservatorem tenetur ostendere Ordinario suam facultatem; quia sic decrevit Gregorius XV. in sua Constitutione illis verbis: Eiusque electionis, seu assumptionis documentum penes aucta Curia Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur. Lezana num. 85. Peyrin. tom. 2. privileg. Minim. constit. 5. Gregorii XV. num. 39.

Elige-  
re Con-  
servato-  
rem per-  
tinet ad  
Præla-  
tum Re-  
gularem.

159. Inquires tertio, quæ forma adhiberi possit ac debeat à Regularibus, ad eligendum, vel restituendum iudicem Conservatorem? Respondetur, quod sub his, vel similibus verbis

Forma  
eligendi  
iudicem  
Conser-  
vatores

Rrr

mu-

mutatis alias mutandis, talis electio, seu constitutio fieri potest. Quæ proponit Laurent. Peyrin. *in suo formulario, in litt. C. cap. 20.* (Frater, N. Ordinis, N. Generalis (vel si Prior fuerit, Conventus N. Prælati) Domino N. salutem in Domino. Sedes Apostolica Regularium Personarum, quæ relicto sæculo Dei sese obsequio manciparunt, quieti, ac tranquillitati consulere cupiens, ad ea, quæ Religiosum eorundem propositum impedire possunt, removenda sollicitè semper, ac paternè intendit. Contuens igitur refrigerante charitate sic complurium iniquitatem abundare, ut succensa, veluti ignis, eorum impietas, contra Ecclesias, ac Regulares Personas eo validius inflammetur, quo eas infirmiores esse, vel qui easdem tueantur rursus cernit compertit: huiusmodi molestis oribus, præsumptoribus, atque injuriolis hominibus sese opponere, eorundemque temeritatem compescere, quam maxime cupiens, Viros gravitate, autoritateque præcellentes, necnon in Ecclesiastica dignitate constitutos, qui eas ab appetitis injuriis & vexationibus tuerentur in Protectores, Conservatoresque eligendi facultatem, gratiosè concessit, ac liberaliter impetivit. Quo sane beneficio nostræ Provinciæ (vel nostri Monasterii) fratres sui peroptantes, Vestræ Dominationis pietati, virtuti, doctrinæ, ac zelo, necnon in agendis prudentiæ summo opere fidentes, unanimi voce, ac suffragio pro tali negotio Conservatorem libentissimè elegerunt: quatenus videlicet juxta

Canonicas sanctiones, sibi quæ ab Apostolica Sede concessa privilegia, efficacis suæ defensionis præsidium, ut res postulaverit, eidem præstare, ac exhibere non dedignetur. Quamobrem præsentium tenore, ac vi, præfatam Dominationis Vestræ electionem notam facimus, eandemque quantum officii nostri ratio postulat laudamus, approbamus, & confirmamus cum omni ea auctoritate, & potestate, qua juxta Canonicas Sanctiones, & nostri Ordinis privilegia, Regularium Ordinum Conservatores frui valent, ac gaudere. In quorum fidem, &c.

## §. II.

*Quas qualitates debeant habere, qui secundum prædicta privilegia, & sanctiones Apostolicas institui possunt Judices Conservatores?*

160. **Q**Uæcumque persona in Ecclesiastica dignitate constituta potest eligi in Judicem Conservatorem; uti ex omnibus privilegiis §. præcedenti relatis constat. Cùm autem Dignitas sit administratio rerum cum jurisdictione, in quo differt à Personatu, qui est præeminentia, seu præcedentia sine jurisdictione: ideo omnes illi, qui talem administrationem, cum jurisdictione habuerint, eligi poterunt in Conservatores: ut Episcopi, Archiepiscopi, Primate, Patriarchæ, Abbates, qui

omnes in dictis privilegiis exprimuntur, imo etiam Domini Cardinales, qui quamquam specialiter non nominentur in illis, cum tamen habeant maximam Dignitatem, inter Dignitatem Ecclesiasticam habentes, debent numerari. *Lezana tom. 1. part. 3. cap. 10. num. 12.* Moneta de Conservatoribus, cap. 5. quest. 3. num. 3. *Peyrin. tom. 2. privileg. Minim. in Constit. 5. Gregorii XV. §. 2. num. 12.* § Etiam Vicarii Generales Episcoporum, & eorum Officiales Generales ubilibet constituti, possunt ex vi prædictorum privilegiorum iudices Conservatores esse, ut expresse habetur in illis. Etiam Archidiaconi, Archipresbyteri, Præpositi, Decani Ecclesiarum; siquidem hi omnes habent Dignitatem Ecclesiasticam. Imo Canonici cujuscumque Ecclesiæ Cathedralis esto Canonicatus, nec Dignitas, nec Personatus esset. Nam in Bulla Sixti IV. pro Carmelitibus, Clem. VII. pro Minimis, Pii V. pro Dominicanis, & Gregorii XIII. pro Jesuitis expresse dicitur posse Canonicos Ecclesiarum Cathedralium in Conservatores nominari.

Canonici Ecclesiarum Collegiatarum olim propter aliqua Regularium privilegia in Conservatores eligi; modò tamen id fieri non potest, sed necesse est tales Canonicos Ecclesiarum Cathedralium esse: quia Clemens VIII. in Constitutione facta anno 1592. quæ habetur in tom. 3. Bull. inter Constitutiones hujus Pontificis, num. 3. & apud Barbol. de offi. & potest. Episc. alleg. 106. num. 54. de-

claravit nullas esse omnes, & quascumque in iudicem Conservatorem deputationes eorum, qui qualitates non haberent requisitas à Bonifacio VIII. in Constitutione, quæ incipit *statutum*, & habetur in cap. 11. de re script. in 6. Inter quas una est: fancimus igitur, ut nullis nisi Dignitate præditis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ autoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem de cætero committantur. Idem præstat Gregorius XV. in Constitutione, incipiente *Santissimus*, anno 1621. edita, quæ habetur in 4. tom. Bullar. inter Constitutiones hujus Pontificis, num. 9. & apud Peyrin tom. 2. privileg. Minim. inter Constitut. hujus Pontif. num. 5. & apud Bordon. tom. 3. resolut. 95. num. 4. Barbol. sup. num. 55. & hic Pontifex etiam renovat Constitutionem dictam Bonifacii VIII. quæ incipit *Statutum*, & revocat omnia privilegia, concessionis, & indulta in contrarium. Et ita tenent Bordon. *supra numer. 15.* Peyrin. §. 2. num. 10. Barbol. allegat. 106. num. 12. Moneta de Conservator. cap. 5. quest. 8. à num. 118. *Lezana sup. num. 52.* § Piores tamen, Archipresbyteri, vel aliis dignitatibus dictarum Collegiatarum insignes Visi eligi poterunt in Conservatores: quia illi sunt Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ. § Et etiam eligi poterunt in Conservatores, Personatus habentes, etsi Dignitatem non habeant: quia licet in virtute privilegiorum §. præcedenti propositorum non possint, possunt tamen ex vi

R r r 2 trium

trium modo propositarum Constitutionum Bonifacii VIII. Clementis VIII. & Gregorii XV. cum in eis expresse dicatur, *vel personatum obtinentes.*

Non potest esse Conservator sui Conservatoris.

162. Nemo autem potest esse Conservator sui Conservatoris, ex jure communi; quod aliqui Prælati non attendentes, munus Conservatorum ad invicem exercebant. Nec habere quis potest pro Conservatore eum, qui est sub ejus jurisdictione, dominio, vel districtu Ecclesiastico, vel temporali, Regibus, & Regnis exceptis. Quod totum deciditur in cap. *ultim. de officio & potestat. judic. delegat. in 6.* Barbola numer. 14. Lezana numer. 21. Pellizzar. tract. 8. cap. 7. sect. 4. numer. 91. § Controversiæ autem ortæ inter Conservatores, & Ordinarios super competentia jurisdictionis, per arbitros in forma juris electos decidendæ sunt, & interim in causâ non est procedendum: sic enim statuitur in Tridentino *sess. 14. cap. 5.* & in Constitut. dicta Gregor. XV. sic habetur: *Si qua verò inter iudices Conservatores hujusmodi, & locorum Ordinarios controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos super jurisdictionis competentia fuerit iudicatum.*

Prælati Regulares possunt institui Conservatores.

163. Cæterum nunc est prima difficultas; an Prælati Regulares immediati, ut Priores, Guardiani, &c. possint eligi in iudices Conservatores? Respondetur, posse, tam ex jure communi, quàm ex privilegiis: quia sunt Personæ in Dignitate constitu-

tæ; est enim Dignitas eorum munus, cum habeant administrationem, cum jurisdictione, tam in foro interno, quàm externo. Quibus accedit, quod in privilegio Clementis VIII. pro Minimis, prædictæ literæ Conservatoriæ dirigantur etiam ad Priores. Rodriguez *questionum Regularium tom. 1. questione 65. art. 3.* Peyrin. *tom. 2. privileg. Minor. in Constitut. 5. Gregorii XV. §. 2. numer. 11.* Tambur. *tom. 3. disputat. 17. quest. 4. num. 1.* Bordon. *tom. 3. resolut. 90. num. 15.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10 num. 14.* Pellizzar. *num. 90.* Fragofo *2. part. libro 4. cap. 12. §. 1. num. 3.* Joannes à Cruce *dub. 1. conclus. 2.* Antonius à Spiritu sancto *sect. 4. n. 201.* Imo etiam Vicarii Conventuum non habentium Priores, possunt eligi, quia sunt in Ecclesiastica Dignitate constituti. Joannes à Cruce, cum Sylvestro *verb. delegatus, n. 3.* Rodriguez *art. 5. §.* Et idem, quod de Prælatibus diximus, dicimus de Diffinitoribus; licet enim Eorum munus non sit dignitas, quia non habent administrationem, est tamen *Personatum*, quia habent præminentiam, seu præcedentiam: *Personatum* autem honore illustres, ut diximus *n. 160. in fine.* institui possunt Conservatores. Lezana in *Consiliis, consil. 40. n. 86.* & hic *c. 10. n. 51.* Ant. à Spiritu *S. n. 202.* Sed illi Regulares, qui Superiores, Vicarii, seu Priores claustrales vocantur, quique in suis Monasteriis habent supra se alium Superiorem, nequeunt Conservatores institui, ut rectè docet Tambur. *sup. q. 4. n. 7.* citatis Rodrig. Miranda, Moneta, & Peyrin,

Decretū  
Concilii  
Triden-  
tini de  
eligendis  
judici-  
bus sy-  
nodali-  
bus.

164. Secunda difficultas est, an præter supradictas conditiones requiratur, ut illi eligantur in Conservatores, qui prius fuerint electi in iudices Synodales in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis secundum præscriptum Concilii Tridentini sess. 25. de reformatione n. cap. 10. Pro quo supponendum est dictum Conciliū in eo loco hæc habere: *Statuit sancta Synodus in singulis Conciliis Provincialibus aut diœcesanis, aliquot personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit statutum, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam post hæc causa Ecclesiastica ac spiritalis, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus deleganda, committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provinciam, aut Diœcesanam Synodum: ita ut habeat quæque Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas Personas, ac ut supra, qualificatas, quibus hujusmodi causa à quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur.* Hactenus Concilium. Et tales designatæ à Synodo Personæ iudices synodales appellantur. Quæritur ergo modò, an instituendi in iudices Conservatores, debeant esse ex his, qui in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis in iudices synodales assignantur, & non alii?

165. Ad hoc dicimus omnino hoc requiri secundum Constitutiones Clementis VIII. & Gregorii XV.

quas n. 161. adduximus: quia in illis cum revocatione omnium in contrarium privilegiorum, decernitur prædictos Conservatores debere esse ex iis, qui electi sunt, & designati in iudices synodales in Conciliis Provincialibus, ac Diœcesanis juxta decretum Concilii Tridentini: & si quæ litteræ aliter expediantur, illæ ac deputationes ejusmodi omnino, & exinde sequenda nullius sunt roboris, vel momenti. Addit Gregorius XV. *Qui secus, quam juxta formam superius præscriptam, Conservatores hujusmodi cum effectu eligere, seu electis, aut deputatis uti ausi fuerint, Regulares quidem voce activa, & passiva sint ipso jure privati, adeo, ut habilitationem à nemine præterquam à Romano Pontifice consequi valeant: & prædictorum omnium Conventus, ac Monasteria, ac loca hujusmodi, eorumque Persona, ac bona careant Conservatore ad annum, ita ut illorum causa interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci, ac definiti debeant.* Et ut ex his Personis dentur plures, qui in Conservatores eligi valeant, sic prosequitur: *Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, ac diœcesanis quamplures Personas ex habentibus qualitates, in prædicta Constitutione ejusdem Bonifacii contentas, & alioqui ad id aptas designare procurent.* Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram Provinciam, aut Diœcesanam Synodum.

tutiones  
Clemen-  
tis VIII.  
& Greg.  
XV. non  
possunt  
eligi in  
Conser-  
vatores  
nisi judi-  
ces sy-  
nodales

Secun-  
dum  
Consti-

Aliud  
decreu  
circa  
hoc à  
Grego-  
rio XV.  
editum,  
refertur.

166. Et ut certo constare posset de Conservatoribus à Regularibus electis, ad tollendas omnes fraudes, quæ in hoc possent accidere, addit idem Gregorius XV. *Ut Regulares, ac persona hujusmodi in Italia infra duos, extra Italiam infra sex menses à die publicationis in urbe presentis Constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conservatores, juxta formam superius propositam, ejusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus hujusmodi, penes acta Curia Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapso quamdiu Conservatores secundum formam presentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur: Quodque Conservatores hujusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, ac locorum Ordinariis, prout eisdem Regularibus libuerit, approbata, durante quinquennio à die deputationis amoveri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant.* Postea nihilominus declaratum est à Sacra Congregatione prout refert Barbosa in collect. Bullar. verb. Regulares 1. Lezana num. 58. & Antonius à Spiritu sancto num. 205. Regulares, qui in tempore eis à Gregorio XV. præfixo Conservatores eligere non curaverint, dicto tempore elapso, quancumque eis libuerit, eos eligere posse. Ita omnes, qui post dictas Constitutiones Clementis VIII. & Gregor. XV. scripsere, ut videre est apud Lezanam, Bordon, Peyrin, Barbosa, Monetam, & alios.

Excon-  
suetudi-  
167. Cæterum cum in Regnis Hispaniæ nullibi ab Episcopis vi-

deamus synodales judices deputari, quin potius ad causas, & casus particulares passim eligantur, qui habent qualitates de jure communi, nimirum qui sint in Dignitate Ecclesiastica, vel Personatu constituti, quorum munus finitima causa expirat, & si nova suboriat, novus vel idem instituitur; non videntur dictæ Constitutiones Clementis VIII. & Gregorii XV. in hac parte usu receptæ in Hispania. Quin potius contrario usu abiogata, ut videtur tenere Diana, quem refert, & sequitur N. Antonius à Spiritu sancto tract. 2. de privileg. disp. 1. sect. 4. Peyrin. ad Constit. 5. Gregorii XV. §. 1. num. 1. Lezana in Consiliis consil. 40. num. 88. & num. 110. sine, ubi refert quædam Bullam Innocentii X. die 14. Maii expeditam anno 1648. in qua hoc punctum videtur decisum; & ideo modò in Hispania eligi possunt in Conservatores, qui conditiones supra relatas habuerint, etiamsi non sint ex iudicibus synodalibus: nec necessarium erit ad quinquennium esse dictos conservatores electos: sed eligi, & institui poterunt prout casus, & necessitates occurrentes postulaverint; dummodo conditiones supradictas habuerint, & ea quæ dicemus §. sequenti observaverint.

\* \* \*

## §. III.

*Ad quid se extendat Potestas, & Jurisdictio Judicum Conservatorum.*

Amplif- 168. **C**onservatorum jurisdictio, sicut & auctoritas tanta est, ut impediri non possit ab Ordinariis, Nunciis, aut Legatis etiam de latere; sed in causis eisdem commissis majores sunt prædictis Ordinariis, aut Legatis, ut colligitur *ex cap. 2. de potest. jud. deleg. in 6.* Quare contra prædictos, & etiam contra Nuncios Apostolicos, tueri se poterunt Regulares, per suos Conservatores. Sanchez *tom. 2. consil. lib. 2. cap. 9. dub. 6. nu. 4.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10. nu. 34.* & possunt Conservatores procedere per censuras Ecclesiasticas, excommunicationem, interdictam, & suspensionem contra sibi inobedientes. Tum ex jure communi, *cap. sane 2. de potest. judicis deleg. cap. auctoritate, de privileg. in 6.* Tum etiam, quia sic habetur expressè in privilegiis Conservatorum Religionum, ut patet ex Bulla Sixti IV. pro Carmelitis, Clementis VII. pro Minimis, Pii V. pro Dominicanis, & Gregorii XIII. pro Jesuitis. Et ita docent Azor. *tom. 2. lib. 5. cap. 35. questione 10.* Barbof. *de offic. & potest. Episcop. allegat. 106. num. 36.* Peyrin. *tom. 2. privileg. Minimorum, Constitut. 5. Gregorii XV. §. 6. num. 45.* Bordon. *tom. 3. resolut. 95. n. 14.* Pellizzar. *tractat. 8. cap. 7. sect. 4. n. 119. & 133.* Qui advertunt, quòd quando contra Episcopos proce-

dendum est, adhibere debent diligentiam, ut cum omni modestia, patientia, & reverentia se gerant. § Et notandum est cum Lezana *num. 86.* Joanne à Cruce *lib. 2. cap. 10. dub. 4. conclus. 2.* quòd si Conservator nolit facere fidem Ordinario de suis litteris, non potest eum nolentem exequi suam sententiam, excommunicare. Quia delegatus nullam potest habere supra Ordinarium jurisdictionem, nisi quando iste est illi rebellis. Non tamen dicitur rebellis, dum petit fidem de ejus Commissione: quia sic perendo utitur jure suo, *cap. in jure, de officio delegati.*

169. Quare Conservator Religionum potest procedere contra Episcopos, Archiepiscopos, Nuntios Apostolicos, & etiam contra alios Religiosos, & contra quoscumque Ecclesiasticos, & contra Collegia, Universitates, & Communitates, habentes etiam facultatem eligendi Conservatorem; & contra quascumque personas, ut in supradictis privilegiis habetur. Et potest appellatione quacumque postposita, procedere per censuras Ecclesiasticas, quoties opus fuerit, & usque ad invocationem brachii secularis, ut patet ex privilegiis citatis. Nec potest ab Ordinario impediri, si b privatione Officii, & exercitii, jurisdictionis ipso facto incurrenda. Et irritum est omne quodcumque in contrarium attentatum, ut Cisterciensibus concessit Martinus V. & habetur in ipsorum compendio *titul. Bulla Conservatoria, §. 1.* & tenet Joannes à Cruce *supra conclus. 2.* Cæterum ab ejus

sen-

sententia appellari potest, cum vel causa est dubia, vel ad infligendam poenam procedit; non tamen cum res est notoria: quia in notoriis non admittitur appellatio. Farinacius in *praxi criminali, quest. 21. à num. 118. usque ad 128.* Barbol. de officio & potestate. *Episcop. allegat. 106. num. 33.* Sed tunc ad solum Romanum Pontificem est appellandum: quia Conservator est delegatus Papæ. Barbosa *num. 4.* Tuschus verbo *Conservatores, conclus. 760. num. 6.* Imo si conservatores contra Regulares procedant, limites suæ facultatis excedendo, recusari poterunt: ex textu in *cap. si quis contra Clericum, de foro compet. cap. secundo requiris, §. 3. de appellacionibus.*

**Conser-**  
**vatores**  
**possunt**  
**familia-**  
**res Reli-**  
**gioso-**  
**rum de-**  
**fendere.**

170. Jurisdictio Conservatorum, non solum extenditur ad defensionem Religiosorum, sed etiam familiarium, & servorum eorundem; si res Religiosorum *actu serviant, & intra eorum septa ac domos resideant, subque eorum obedientia vivant;* possunt ergo ad defensionem istorum procedere in manifestis injuriis, ac violentiis, & servata forma præscripta in Constitutione Gregorii XV. de qua statim. Ita concessit Pius V. pro Dominicanis illis verbis: *Adversus inferentes eis, aut eorum procuratoribus, agentibus, servitoribus, & familiaribus in præmissis eorundem alicui molestias, vel injurias, aut gravamina, &c.* Et idem habetur in Bulla Gregorii XIII. pro Jesuitis. Villalobos 2. part. tractat. 35. *difficult. 6. num. 9.* Pellizzar. num. 129. Lezana num. 65. Antonius à Spiritu san-

cto num. 219. & possunt etiam procedere ad defensionem Syndicorum, & procuratorum eorundem Fratrum; non ut sunt singulares personæ, sed ut sunt eorum officiales, idque in casibus specialibus, spectantibus ad eorum officium. Sic concessit Clemens VII. Minoribus in Bulla, quæ incipit: *Dum consideramus,* apud Casarub. in *Compend. verb. procuratores, num. 13.* & Rodriguez tom. 3. qq. Regul. q. 39. art. 4.

171. Sed loquendo de rebus, causis, aut negotiis, ad quæ Judicium Conservatorum jurisdictio se extendit, sciendum est, quod inspectis, & attentis Regularium privilegiis, illorumque tenore, ac verbis, cognoscere olim poterant Conservatores de omnibus causis tam civilibus, quam criminalibus, seu mixtis, tam de eis, in quibus Regulares erant Rei, quam de eis, in quibus erant Actores, & de quibuscumque injuriis, molestiis, violentiis, tam manifestis, quam non manifestis Eis irrogatis sine judiciali indagine, vel cum illa, prout res, & causa postulare, ut dicta privilegia legenti liquido constabit; specialiter consideranti illud Sixti IV. Carmelitæ concessum, in quo mandat Conservatoribus, *no permittant eos indubitè molestari, aut eis gravamina, injurias, atque damna inferri, seu quomolibet irrogari,* & postea ait: *In quibuscumque causis per eos movendis, ac quacumque ratione, vel causa, & addit: ac etiam summarie, & de plano absque strepitu, & figura judicii.* Et Bullam Clementis VII. pro Minimis, in qua idem eisdem Conservatoribus præcipit,

Ad quas causas se extendat Conservatorum potestas privilegii.

incipit, his verbis : Ne permittatis eosdem super libertatibus, privilegiis, indultis, rebus, & bonis prædictis, ab eisdem, & quibuslibet aliis indebitè molestari, vel eis gravamina, vel damna, seu injurias irrogari, aut coram quibuscumque judicibus Ordinariis, vel Delegatis, etiam Apostolicis, quavis occasione, vel causa, etiam criminali eosdem Fratres trahi, &c. & postea addit : in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii ; in aliis verò prout qualitas eorum exigit. Quod idem habetur in Bulla Pii V. pro Dominicanis, & in Bulla Gregorii XIII. pro Jesuitis, sub illis verbis: De quibusvis molestiis, damnis, injuriis tam presentibus, quam futuris. Et addit, quòd absque judiciali indagine, & cum illa procedere possint, prout qualitas rerum postulaverit; & in quibuscumque causis tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis: etiam in eis, in quibus Regulares Actores fuerint. Quæ omnia ad intentum ponderant Farinacius 2. parte, decis. 616. numer. 3. & 4. Peyrin. tom. 2. Constitut. 5. Gregorii XV. §. 6. à numer. 34. Pellizzar. tract. 8. cap. 7. sect. 4. numer. 120. Sorbus in Compend. privileg. Mendicant. verb. Conservatores. Lezana tom. 1. part. 3. cap. 10. n. 22. Barbol. de offic. & potest. Episc. alleg. 106. à n. 33.

Qualiter per Gregorium XV. jurisdictione Conservatorum

172. Cæterum licet hæc ira sint, secundum privilegia Regularibus concessa; illa tamen postea variè alterata, & immutata fuere à Sede Apostolica: specialiter à Gregorio XV. in Constitutione multoties citata, quæ

incipit, Sanctissimus, anno 1621. & habetur 4. tom. Bullar. inter Constitutiones hujus Pontificis numero 9. ubi circa prædictorum Conservatorum autoritatem, & jurisdictionem, hæc decernit : Ut coram ipsis Conservatoribus Regulares, ac Persona superscripta conveniri quidem, aut trahi debeant; sed alios convenire, aut trahere non possint; ita ut memorati Conservatores, in causis, in quibus Regulares, & alii Actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant. Sed in iis tantum, in quibus Rei extiterint. Nec extra civitates, aut Dioceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant. § Quæ limitatio jurisdictionis Conservatorum cum nimis dura videretur, & Regulares quidem coram prædictis Conservatoribus conveniri, aut trahi deberent; ipsi autem non possent alios trahere, aut convenire, ita ut in causis, in quibus Regulares essent Actores, nullam prorsus jurisdictionem haberent; sed tantum in illis, in quibus Rei existerent, Supplicatum fuit, ab ipsis Sacre Congregat. ut decideret hoc dubium. An per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares, & alios à manifestis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus desiciuntur, & propriis bonis frui, aut uti impediuntur? Cui dubitationi Sacra Congregatio anno 1624 sic respondit : Ejusmodi verbis minime sublata esse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares à manifestis injuriis, ac violentiis. Quæ resolutio habetur in 4. to. Bullar.

vatorum limitetur.

§§ inter

inter Constitutiones Gregorii XV. post 9. § Unde secundum dictam Constitutionem Gregorii, & Congregationis Sacrae declarationem solum possunt modò cognoscere Conservatores Regularium de illis causis, in quibus Regulares Rei fuerint, & in eis in quibus Actores fuerint, quoad injurias tantùm, & manifestas violentias, secundum formam, *cap. finali, de offic. & potest. judic. deleg. in 6. innovatam à Gregorio XV.* ita docent Bordon. *tom. 3. resolut. 95, à nu. 6.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10. num. 62.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. sect. 4. nu. 120.* Moneta *de Conservatoribus, cap. 7. quest. 6. num. 343.* Peyrin. *tom. 2. in Constit. 5. Gregorii XV. §. 6. num. 50.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. de privileg. disp. 1. sect. 4. num. 212.* § Illa autem dicitur manifesta injuria, quæ per facti evidentiam ita notoria est, ut examinatione non indigeat: vel si indigeat, probari tamen posset clare, & certitudinaliter per multos testes, & negari non possit. Violentia vero dicitur, injuria cum vi, & impetu, personis, vel rebus facta. Tuschus *verb. manifestum, conclus. 75, num. 7.* & *verbo violentia, conclus. 214.* Menochius *in Prelud. de recuperanda possessione. à n. 38.*

Ad quæ- 173. Ex quibus sequitur resolutio  
tam loci aliquarum difficultatum. Primò quid  
distan- dicendum sit ad illam quæstionem,  
tiam, ju- videlicet, ad quantum loci distan-  
risdictio- tiam se extendat judicum Conserva-  
Confer- torum autoritas? Respondetur e-  
vatorum- nim, quòd attentis privilegiis Grego-  
exten- rii XIII. pro Jesuitis, & Clementis  
datur. VII. pro Minimis, poterant extra ci-

vitates, & dioceses, in quibus deputati fuerant, contra delinquentes procedere: dummodo id non foret ultra tres diætas. Est autem una diæta, iter unius diei, id est 20. milliariù, quæ computanda sunt non ab urbibus, vel ædificiis; sed à terminis diocesis, intra quam Conservator existit, ita Joannes à Cruce *de privileg. lib. 2. cap. 10. dub. 3. num. 2.* Peyrin. *§. 6. num. 46.* Antonius à Spiritu sancto *num. 217.* Lezana *num. 27.* Rodriguez *tom. 1. quest. 65. articulo 7.* Portell. *in dub. Regular. verb. Conservator, num. 5.* Unde poterant Prælati Regulares ex vi suorum privilegiorum eligere sibi Conservatores, non solum in Diocesis, in quibus erant Conventus illorum existentes; sed etiam extra eas degenes, dummodo reus intra tres diætas citari posset. § Cæterum ex jure communi *in cap. ultimo, de offic. judic. delegat. in 6.* quòd innovatum fuit à Gregorio XV. in Constitutione sæpius citata, non possunt hoc tempore suum munus exercere, nisi intra civitates, & Dioceses, in quibus deputati fuerunt, Moneta *cap. 7. quest. 2. num. 61.* Lezana *num. 64.* § Quamvis sit probabile, nihil in hac parte innovatum fuisse à Gregorio XV. si dicatur in ea solum prohibuisse, ne Conservatores suum munus exerceant extra civitates, & dioceses, in quibus deputati sunt, ita quòd non possint suum munus exercere, cum à civitatibus, & diocesis, in quibus deputati sunt, abfuerint; poterunt tamen tunc alteri existenti in loco, in quo ipsi deputati sunt, suum officium delegare. Ita Pey-

Peyrin. & Lezan. quos refert, & sequitur N. Antonius à Spiritu sancto tract. 2. disput. 1. sect. 4. num. 218. Item Moneta, Sorbus, Rodriguez, quos refert, & sequitur Tamburin. de jure abbat. tom. 3. disput. 17. quest. 1. num. 6. § Sed notat bene Joannes à Cruce dub. 3. concl. 3. Quod quando Conservator Regularium non valet tunc accedere ad loca, in quibus morantur, qui sunt citandi, monendi, vel prohibendi, possunt ista efficere per edicta publica, affigendo illa in locis publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ex ipsis ad ipsorum citatorum, monitorum, vel prohibitorum notitiam pervenire valeant: ut concessit Societati Jesu Gregorius XIII. & Pius V. Ordini Prædicatorum.

Post  
Constitutionem  
Gregorii  
XV. post  
sunt Conservatores  
procedere  
in causis,  
in quibus  
Religiosi  
sunt actores  
&c.

174. Sequitur secundo, quid dicendum sit ad illam questionem, an Conservatores Regularium post Constitutionem Gregorii XV. possint procedere, cum ipsi Regulares sunt Actores, in causis civilibus eorum, contra eos qui aliquam pecunie summam, vel aliquam aliam rem ipsis debent ex locationibus, legatis, testamentis, &c. quando debitor non vult solvere id, quod tenetur? Respondetur enim, quod nisi fuerit injuria, aut violentia manifesta, non poterunt, propter illa verba Gregorii: quod *Conservatores in causis, in quibus Regulares actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant.* Ceterum hoc non tollit, quo minus Regulares possint agere coram Conservatoribus suis contra prædictos propter manifestas injurias, seu violen-

tias, quas manifeste faciunt, qui solvere ea, quæ certo tenentur, nolunt. Et tunc tales Conservatores, contra hujusmodi debitores possunt procedere: etiam si Regulares Actores fuerint; propter declarationem Sacrae Congregationis supra num. 172. adductam: Quæ declaravit, posse Conservatores defendere Regulares à manifestis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiciuntur, & propriis bonis frui, aut uti impediuntur. Quod sane accidit quando non vult debitor solvere quod tenetur: quia tunc ne creditor fruatur, aut utatur propriis bonis, impedimentum apponit. Sic Joannes à Cruce dub. 5. conclus. 2. Lezana num. 61: Antonius à Spiritu sancto num. 215. Bordon. resolut. 95. num. 1. Pey. in §. 6. num. 50. Moneta cap. 7. quest. 8. num. 394. Diana 3. part. tractat. 1. resolut. 2.

175. Sequitur tertio, quid dicendum sit ad illam questionem, an Judices Conservatores post Constitutionem Gregorii XV. cognoscere possint de his, quæ judiciale requirunt indaginem, nempe cognitionem causæ, ejusque examinationem propter illius dubietatem? Pro cuius resolutione supponimus, in causis Regularium, tam iis in quibus Actores fuerint, quam iis in quibus fuerint Rei, posse, & debere Conservatores procedere de plano, & sine strepitu, & figura judicii: quia ubi agitur de causis Regularium apud eorum Prælatos, & Conservatores, servari non debent apices juris, nec subtilis illius forma, quæ in aliis causis præscribitur,

Quomodo  
Conservatores  
cognoscere  
possint de his,  
quæ judiciale  
indaginem  
requirunt?


tur; ut habetur in cap. *Qualiter*, & quando, de accusatoribus, & in singulorum Ordinum Constitutionibus hoc caveri solet, ut apud nos 3. part. *Constitutur*. cap. 10. num. 8. § Et isto supposito ad quæsitum negativè respondetur: maxime si Regulares Actores fuerint: quia Gregorius XV. decernit non posse Conservatores procedere in causis, in quibus Regulares Actores fuerint. Et licet ex declaratione Sacræ Congregationis procedere possint in causis manifestarum injuriarum, etiam si in illis Actores fuerint Regulares, hoc tamen est ideo, quia in manifestis judicialis indagatio non requiritur; maxime, quia Sacra Congregatio dum concedit Regularibus, in manifestis posse coram Conservatore agere, subdit: debere servari formam præscriptam ab Innocentio IV. in cap. 1. de offic. deleg. in 6. ubi dicitur: non posse Conservatores ad ea, quæ judicialem indaginem exigunt, suam extendere potestatem. Lezana num. 63 Pellizzar. 114.

Quid factum 176. Cæterum in cognoscendis cere de injuriis, aut violentiis manifestis, possunt Conservatores illam indaginem servator, adhibere, quæ in notoriis solet committeri ut debite procedat. munitur usurpari: quia cui committitur in notoriis facultas, debent ea committi, sine quibus jurisdictio nequit exerceri; Sed non potest Conservator in notoriis procedere, nisi de rei notorietate notitiam capiat, & ad ferendum testimonium testes cogat, si fortè delictum sit aliis notorium, & non ipsi: aliaque iis similia præster, quæ aliquam important judicialem indaginem; ergo, &c. Peyrin. tom. 2.

*Constitutur*. §. Gregorii XV. numer. 40. Moneta cap. 7. quæst. 3. num. 90. & 93 Pellizzar. numero 116. Lezana num. 62. § Quare ut Conservator procedere valeat, necessarium est, quod ante omnia appareat injuriam, seu violentiam fuisse manifestam, & notoriam: quia ubicumque jurisdictio alicui competit respectu alicujus certæ qualitatis, ante omnia debet illi de illa qualitate constare. Si tamen de illa tali notorietate dubitet, vel clare de ea non appareat, poterit summarie examinare an injuria, vel violentia de qua agitur, notoria sit, & super ea probationes recipere ad fundandam suam jurisditionem: ita quod si eam notoriam esse reperiat, in sua jurisditione procedat: alias se incompetentem pronuntiet. Barbof. de offic. & potest. Episcop. alleg. 106 num. 20. Lezana num. 62. Pellizzar. num. 117. Peyrin. tom. 3. privileg. cap. 11. num. 10.

177. In fine hujus puncti rogabis, quæ pœnas incurrant Conservatores, qui limites suæ jurisditionis excedant, & qui talem excessum procurant, vel certè impediunt, ne suum munus, in his, quæ possunt exerceant? Respondetur, Conservatores scienter excedentes suæ jurisditionis meras incurrere suspensionem ab Officio Conservatoris per annum: ut habetur in cap. final. de offic. deleg. in 6. & jure Hispan. in l. 1. titul. 5. lib. nova recopilat. privantur temporalitatibus, & connaturalitate illorum regnorum. § Cæterum cum in dicto cap. finali dicatur: scienter, sequitur non incurrere prædictas pœnas ab his, qui ex ignorantia

stantia etiam crassa excedunt, juxta à nobis dicta tom. 2. tract. 10. de Censur. cap. 10. n. 187. Sed in foro externo, ut scienter fecisse convincatur, debet probari: quia juxta regulam juris 48. *presumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* § Pars verò, quæ procuravit, quòd judices Conservatores excedant, effectu procurationis sequuto, qui est excessus de facto exercitus à Conservatore, excommunicationis pœnam incurrit, à qua absolvi non potest, nisi ei, quem sic fatigavit indebitè, primò satisfaciat integraliter de expensis, ut habetur dicto cap. final. Sed talis excommunicatio non incurritur nisi à parte procurante: id est ab eo, qui in judicio est Actor, vel Reus, non à tertia persona: quia textus solum de parte Procurante loquitur. Navarrus in Manual. c. 27. nu. 125. à Cruce dub. 7. concl. 2. Lezana tom. 71. Rodriguez tom. 1. quest. 65. art. ultim. § Impedientes demum, vel molestantes Conservatores Regularium ne suam exerceant Officium, incidit in excommunicationem, vel suspensionem à divinis latæ sententiæ: ex concessione Pii V. pro Dominicanis. Sed pœna prædicta lata sub illa distinctione, excommunicationis, vel suspensionis, in hoc sensu intelligitur: ut delinquens unam dictarum Censurarum determinatè incurrat, quam ipse elegerit. Bonacina disp. 1. de Censuris quest. 1. punct. 7. num. 1.



PUNCTUM VI.

De Privilegiis Regularium, virtute quorum possunt in suis Ecclesiis sepelire eos, qui in eis eligunt sepulturam.

178. **D**iversa sunt privilegia Regularibus concessa circa mareriam hujus puncti. Alia circa electionem liberam sepulturæ, quæ ab extraneis sæcularibus, laicis, & Ecclesiasticis, potest eligi in Ecclesiis, capellis, claustris, &c. Alia circa modum, quo Regularium sepultura debeat executioni mandari. Alia circa exemptionem solutionis portiois Canonice, & quartæ funeralis ex his, quæ relinquuntur ab illis, qui apud eos eligunt sepulturam. Alia circa res, & quantitatem, ex quibus solvi debeat quarta funeralis, ab eis, qui solvere tenentur. Quare punctum hoc in sex paragraphos dividemus, ut in eo distinctius procedamus. In primo agemus de his quæ pertinent ad sepulturam in communi, à quibus eligi potest, & in quo loco debent sepeliri, qui eam non elegerunt. In secundo de his qui ex jure, Ecclesiastica sepultura privantur. In tertio de privilegiis Regularium sepeliendi in suis Ecclesiis illos, qui in illis sepulturam elegerint. In quarto de portione canonica, & quarta funerali erit sermo, quæ sint? Et à quibus solvi debeant? In quinto & sexto de privilegiis exemptionis à solutione quartæ funeralis aliquibus Religionibus concessis.

Quid in hoc puncto sit agendum supponitur.

§ 1

§ 2

## §. I.

Quid sit sepultura Ecclesiastica? à quibus eligi possit? & quando non eligitur quo in loco assignanda vel concedenda?

Qualis locus dicatur sepultura Ecclesiastica?

179. **S**epultura Ecclesiastica, de qua agimus in præsentī, est locus concavus in Ecclesiastico cæmeterio factus, in quo corpus Catholicus conquiscit. Seu ut dicitur in l. 1. tit. 13. partit. 1. eslogar fennalado en el cæmeterio para soterrar el cuerpo del home muerto. Dicitur in cæmeterio, nomine cujus veniunt Ecclesia, Capellæ, Claustra, Cæmeteria, & omnia alia loca consecrata, aut benedicta, & ad sepulturam fidelium ex designatione Ordinariorum deputata. Si quis tamen extra hæc loca sepultus esset, ibi dicitur habere sepulchrum, sed non sepulturam Ecclesiasticam. Unde sepultura Ecclesiastica locus est Religiosus: quem supra num. 88. diximus gaudere immunitate Ecclesiæ: qualis non est sepultura in Oratorio particulari constructa; sed debet esse vel in Ecclesia, vel in Cæmeterio ab Episcopo ad hoc designato ad effectum gaudendi immunitate Ecclesiastica: ut ibidem diximus. Cæterum Regularibus concessum est in jure, cap. Nihil iniqua, cap. Nihil grave, de excessib. Prælator. ut in suis Oratoriis habeant cæmeteria, in quibus suos Contrares tumulare possint, etiam tempore interdicti: uti docet Hostiensis lib. 3. sub titul. de sepult. num. 2. & 3. § De-

crevit autem Ecclesia Christianos in Ecclesiis, vel juxta ea sepeliri debere, ut fideles ad Ecclesias venientes, & in eis sepulchra aliorum aspicientes, proprii finis memoriam habeant, & Deum pro defunctis exorare, reminiscantur: & major hæc cura esset orandi pro defunctis; licet olim non permetteretur quisquam in ra Ecclesiam sepeliri, sed omnes prope illam in cæmeteriis, præter Reges, Reginas & eorum filios, aliasve insignes personas, ut videre est in l. reg. 11. tit. 13. partit. 1. sepeliri deberent. Hodie tamen omnibus id conceditur, ut experientia comprobatur.

180. Sed ex modo dictis, quod sepultura sit locus Religiosus, insurgit difficultas, an sit Simonia vendere sepulturas, vel jus, ut tali loco aut parte Ecclesiæ nullus præter illum, qui emit, aut ejus successores sepeliatur? § Ad quam respondetur sub disjunctione, vel enim loquimur de illo loco, seu parte terræ, quæ nec benedicta est, nec deputata ad sepulturam, licet alias esset deputanda; & de hoc loco non est dubium posse absque labe Simonie vendi, etiam si forte essent in eo aliqua cadavera tumulata; sicut terra, & situs, in quo Ecclesia erigenda est, pretio potest comparari: est enim locus profanus; quia licet secundum jus civile, locus in quo aliquis sepultus est, per solam illationem mortui primitus efficeretur Religiosus, in tantum, ff. de rerum divisione; jure tamen Canonico locus Religiosus non est, nisi jam deputatus, & consecratus saltem, aut sit benedictus cap. ad abolendum. de sepul-

turis. Unde priusquam consecratur aut saltem benedicatur, cum aliis locis profanis vendi potest, cum nullam habeat spiritualitatem annexam. Sanch. tom. 1. *consil. lib. 2. cap. 3. dub. 14. num. 1.* Bonac. *de Simonia quest. 4. §. 6. num. 1.* Bordon. *tom. 3. resolut. §. 1. n. 75.* Sotus *lib. 9. de iustitia qu. 7. art. 1.* Lezana *tom. 3. verba sepultura n. 14.* § Vel loquimur de illo loco seu parte terræ ut est consecratus & benedictus, & tunc si talis locus benedictus, vel consecratus, ac proinde iam ad sepulturam destinatus, ratione consecrationis, aut benedictionis venderetur, aut pluri venderetur, esset Simonia contra Jus divinum & naturale, cum res spiritualis venalis redderetur. D. Thomas *2. 2. quest. 10. art. 4. ad 3.* At si sepultura tali modo benedicta, non ratione benedictionis, sed ratione terræ, aut soli, in qua sita est, venderetur; non esset quidem simonia contra Jus Divinum & naturale, sicuti nec talis simonia est calicem vendere ratione materiæ, ex qua factus est, est tamen contra jus Ecclesiasticum; & sic malum, quia prohibitum, *cap. Abolenda, de sepultur. cap. non satis, cap. audivimus de simonia.* Sanchez, Lezana, Bonac. Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. ultim. §. 4. nu. 36.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de simonia cap. 14. num. 29.* licet alii oppositum non improbabiler dicant. § Porro pro tali loco sepulturæ possunt stipendia recipi, non ut pretium illius, sed ut elemosyna, ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ necessaria, sicuti pro Missis recipi possunt, vel pro conservatione fabricæ, & pro

augmento Cultus Divini: quia æquum est, quod defuncti, qui in templo inhabitant, ad ejus reparationem & ornatum concurrant; vel quia expensæ in ea factæ exiguntur præscindendo à spiritualitate. § Etiam pro loco honoratioris sepulturæ plus accipi potest: ut si concederetur in Capella majori, in meliori, commodiori, & digniori loco: quia solum venditur honor, ut pendet ex hominum æstimatione, qui per accidens rei spirituali conjungitur. Sanch. *n. 3.* Lezana *num. 14.* Joannes de la Cruz *in director. precept. 7. quest. 4. dub. 9.* Diana *part. 2. tract. 15. resolut. §. 7.* Villalobos *tom. 2. tract. 37. difficult. 12. n. 3.* Ledesma *in summ. 2. part. tract. 12. conclus. 34.* Bordon. *tom. 1. resolut. §. 1. num. 76.* § Etiam potest recipi pretium pro perpetuo jure sepulchri, id est, pro ea obligatione, ut nullus præter eum, vel ejus successores in tali loco admittatur: quia tale jus quid temporale est, & per accidens conjunctum spirituali. Cruz, Sanchez, Suarez, Villalob. Bordon. & Ledesma *hoc num. citati.*

181. Idem quod dictum est de sepulturis, cum proportione dicitur est de Capellis, quæ solent sæcularibus dari pro loco sepulturæ. Dum semel tamen alicui est tradita Capella, & ab eo pretio debito soluta, cum pacto, ut nullus alius præter eum, ejusve successores in tali loco sepeliatur; ullo modo alius in tali loco sepeliri potest; quia est pactum justum, & sic omnino observandum; nisi justa aliqua superveniret causa: v. g. si sepeliendis sepulturam propriam

Idem quod dictum est de sepulturis, est circa capellam sentiendum.

priam non haberet, & non esset in Ecclesia, vel Cæmeterio locus communis; quia hoc est facere eleemosynam extimè indigenti, quæ de bonis alterius, etiam invito domino fieri potest. Sic Panormitan. in cap. abolenda. de sepultur. num. 5. Lezana num. 15. Bordon. num. 79. Peyrin. tom. 1. privileg. Minimor. in Constitut. 26. Leonis X. num. 22. § Sed quid si post obitum Fundatoris Capellæ, vel emptoris sepulchri alii hæredes, aut successores illius non fuerint superstites, poteritne Prælati, in eo loco alium extraneum permittere sepeliri? Responderetur affirmativè. Quia extinguunt illud jus, quod prædicti habuerunt cum jam frustraneum sit, & ad nihil ipsis deserviens, & redit libere ad Ecclesiam; ac proinde illud aliis potest concedi. Tum etiam: quia loci Sacri, qualis est sepultura, nequit Sæcularis dominium habere, l. *Quæ de tota. ff. de rei vindicat.* Sed est quasi usufructuarius, habens jus ad usum pro se, suisque successoribus, ut eis invitis, nullus ibi possit sepeliri: sed usufructuario extincto, usufructus redit ad proprietarium: ergo, &c. Sic Bordon. num. 72. Vuald. de portion. Canon. cap. 10. num. 6. Sylvest. verb. *sepultur.* quest. 6. Laciurius tit. 2. cap. 9. num. 25. Sanchez *supr.* num. 4. Lezana num. 15. & tom. 1. part. 2. cap. 11. num. 23. Peyrin. num. 49. Portel. in *respons. moral. part. 2. casu 20. n. 1.* Interim tamen insignia, inscriptiones, aut alia ad memoriam Patroni aut fundatoris ibi inscripta, delenda non sunt; quia sunt monumenta ad perpetuam rei memoriam facta cau-

sa honoris, l. 2. §. *monumentum. ff. de relig. & sumptib. funer.* Sic omnes citati.

182. Omnis homo, vir vel mulier, cum ad pubertatem pervenerit, sibi eligere poterit sepulturam ubi voluerit, etiam si sit sub patria potestate; idque facere poterit absque licentia patris: ut de filiis expresse habetur, cap. *licet pater, de sepultur. in 6. de uxore*, quæ potest sepulturam eligere absque consensu mariti, cap. *de uxore. de sepulturis.* Item servi possunt sine licentia dominorum eligere sepulturam, *juxta l. regni 3. lib. 4. tit. 5. nove recopilat.* Unde quilibet, sive Clericus, sive laicus, uxor, filiusfamilias, servus, &c. jus habet ad eligendum sibi sepulturam: & quam elegerit, in ea est omnino tumulandus, ut tenet communis praxis Ecclesiæ, & concors Doctorum est judicium, § *Potest denique pater, imò & mater, parente mortuo, pro filiis impuberibus sepulturam eligere, sicut potest pro eis testari (est enim electio sepulturæ, quasi quædam species testamenti) & sic tenet communis consuetudo fere ubique introducta: & sic declarasse Sacram Congregationem testatur Lezana tom. 5. in Martini Magno Prædicatorum §. 28. num. 85.* Et ab eadem Sacra Congregatione 22. Februarii 1641, (ut testatur idem Lezana tom. 3. verb. *sepultura num. 4.*) ordinatum fuit, ut Episcopus Placentinus mandaret restitui à quodam Curato suæ diocesis Patribus Minoribus cadaver ejusdam puellæ, cui pater elegerat sepulturam in Eorum Ecclesiâ; juberetque omnes

Libertus  
est un-  
cuique  
eligere  
sepul-  
turam.

refundi Eleemofynas funeris. Sic ipse, & Portellus in respons. moral. tom. 2. casu 63. Diana p. 5. tract. 3. resolut. 108. Pasqualig. tom. 2. decis. 193. n. 3. N. Antonius à Spiritu sancto tract. 2. de privileg. disp. 3. sect. 4. n. 125. Villalob. tract. 31. difficult. 2. n. 2.

Quo modo electio sepulturæ sit probanda?

183. Et si fortè quæras, quomodo electio sepulturæ probetur? Respondetur hoc fieri posse, vel ore tenus, vel per scripturam. Si primo modo fiat, duo aut tres testes sufficiunt: quia pro causis piis tot testes sufficiunt, cap. cum testis, de testibus. Item sufficiunt quicumque testes, ut familiares, servi, mulieres, & ex jure inhabiles ad testificandum: tales enim in causis piis admittuntur, licet etiam sint testes singulares, probantes pro diverso tempore. Peyrin tom. 2. cap. 4. nu. 52. Barbosa ad cap. in omni. de testib. num. 55. Lezana verb. sepultura, n. 11. Bordon. resolut. 51. num. 207. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 4. nu. 144. Genuensis cap. 76. num. 8. Pasqualig. dec. 406 Bordon. num. 207. Molfesius tom. 2. tract. 13. cap. 8. num. 32. Diana 5. parte tract. 3. resolut. 106. § Quin etiam Religiosus potest esse testis idoneus de sepultura electa in propria Ecclesia: quia Religiosum in causa suæ Ecclesiæ terre posse testimonium, habetur in cap. super prudentia 14. q. 2. cap. insuper. cap. Nuntius de testibus. Nec ob id in propria causa dicitur testificari: quia causa Ecclesiæ, non est causa singulorum, sed totius corporis Ecclesiæ, cap. Qui manumittitur 12. q. 2. & testis interessatus non repellitur, quando non agitur principaliter de ejus interesse, ut probat Jalon. l. si quis

nec causam. ff. si certum petatur. Rota volum. 4. n. 11. decis. 144. Bordon. supra n. 210. Pellizzar. n. 144. § Probatur potè electio sepulturæ per scripturam, ut vel per testamentum, vel per codicillum; quæ licet aliàs invalida sint, tenet nihilominus electio sepulturæ; vel per scedulam manu propria subscriptam, vel subscriptam per duos testes ex iis, quos diximus sufficere. Lavorius titul. 2. cap. 11. num. 18. Pasqualig. decis. 405. & 406. Antonius à Spiritu sancto num. 117. Bordon. num. 207. Peyrin. Molfesius, Diana locis citatis. § Imo si aliquis habens alibi sepulturam, construit in aliqua Ecclesia Capellam cum sepultura, eo ipso eam sibi videtur eligere ad effectum ut ibi sepeliatur. Sic Antonius à Spiritu sancto, Peyrin, Pellizzar.

184. Quando quis absque sepultura electione moritur, sepeliendus est in sepulchro suorum Majorum, cap. 1. & ibi Glossa de sepultur. in 6. cap. Hebron. cap. Placuit 13. quest. 2. nisi sit alia alicubi consuetudo legitimè introducta, quæ observari debet. Quod si Majores sint dispersi, & in diversis Ecclesiis sepulti, si Pater, & Avus sint in una, & reliqui Majores in alia sepultura sepulti, in illa tumulari debet: quia sepultura mortuorum se habet sicut domicilium inter vivos: sed domiciliū acquiritur ratione Patris, & Avi: ergo etiam illa. Et quia major semper præsumitur affectus ad immediatos parentes, quam ad ascendentes alios remotiores. At si Pater sit in uno loco, & reliqui Majores in alio, in isto sepeliri debet: quia textus

In quo sepulchro sepeliendus sit qui non elegit sepulturam?

T t t

dicit

dicit in sepulchro Majorum, & non parentis, ut notat Glossa in cap. is, qui de sepulchro. Si ita Majores dispersi fuerint, ut Pater sit in uno loco sepultus, Avus in alio, Proavus item in alio; is qui absque sepultura electione moritur, sepeliendus in parochia nonnullis esse videtur, quia Majores non censentur habere sepulchrum. Sed ex consuetudine sepeliendum esse in sepulchro Patris tenent Sylvest. verb. sepultura, qu. 6. Gregorius Lopez, Joannes, Andreas, quos refert & sequitur Villalobos tract. 31. difficult. 2. n. 4. Diana part. 5. tract. 3. resolut. 108. § Si Pater, & Mater sint in uno sepulchro, & in alio reliqui Majores: ex vi juris communis sepeliendus foret in isto, quia textus dicunt majores ab antiquo; & tamen nihilominus ex consuetudine in illo esse sepeliendum tenent citati. § Uxor, quæ absque electione sepulturae decedit, si ejus maritus jam fuerit mortuus, sepelienda est in sepulchro ultimi mariti, etiam si post viduitatem ad domum Patris, vel alium locum translata fuerit. Cap. is qui, § mulier, de sepulchro. quia domicilium, & honorem ab ultimo marito participat, l. Famine, ff. de sent. Si ante maritum mulier decedat, standum est consuetudini. Quod si haec tenus nulla circa hoc fuerit introducta, & maritus jam sibi sepulchram preparaverit, in illa est tumulanda: eo quod una caro cum eo judicetur. Et hoc colligitur ex Cap. Unaquaque 13. q. 2. Sed si preparatum sepulchrum Maritus non habuerit, & tamen significaverit, se velle in sepulchro Majorum sepeliri, in eo etiam

mulier sepelienda est; & prædictis omnibus deficientibus, est in suo proprio tumulanda; quod si neque hoc habeat, nec aliquod eligat; in parochia, quæ illi Sacramenta ministrabat, erit sepelienda: ita sentiunt Molfesius tom. 2. tract. 13. cap. 8. numer. 22. Sylvest. sepultura, quæst. 6. Villalob. difficult. 2. n. 9. Diana part. 5. tract. 3. resolut. 108.

185. Filii naturales absque electione sepulturae decedentes, nisi in dignitate sint constituti, in sepulchro Patris sepeliri debent: spiritus in sepulchro Matris, nisi foemina sit illustris: adoptivi si vivente patre moriantur, in sepulchro Patris adoptantis; si post obitum ejus moriantur, in sepulchro Patris naturalis. Sylv. q. 8. Villalob. num. 6. § Illi vero qui nec Majorum, neque prædictorum habent sepulchra, nec electionem sepulturae fecerunt, in parochia sepelendi sunt, in qua recipiebant Sacramenta; cap. ex parte, cap. in nostra, de sepulchro. Quod si duarum esset aliquis Parochiarum Parochianus, daretur locus præventioni. Cap. duobus de rescriptis in 6. Et, si non daretur præventio, & lis esset exorta, erit Episcopi partes componere, & ad concordiam reducere. Sed si quis in urbe domicilium habens, causa recreationis, aut negotiationis in alio oppido existat, & ibi mori ut; non in loco ubi decedit, sed ubi domicilium habet, sepeliendus est, si ad eum absque periculo asportari valeat. Cap. is qui, de sepulchro in 6. § Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati, nisi eligant sepulchram, in Cathedrali, cujus Præpositi sunt,

Eadem  
mater  
con  
minat.

sunt, sunt sepeliendi. Clerici in Ecclesia ubi beneficiati, quando ipsi sepulchra Majorum non habent, ut colligitur ex textibus citatis. § Peregrini, qui non habent Majorum sepulturam, vel si habeant, nequeunt ad illam deferri; casu quo certam non elegerint, sepeliendi sunt in parochia, à qua ipsi ministrabantur Sacramenta: quia actualis habitatio in tali parochia pro domicilio ad hoc haberi, docet Abbas in cap. 1. de sepulturis.

Non possunt Religiosi eligere sibi sepulturam.

186. Religiosi autem cum velle, & nolle non habeant, eligere sibi nequeunt sepulturam: sed in Monasterio, in quo moriuntur, sepeliendi sunt; Cap. ultim. de sepulturis in 6. Si tamen extra claustra decedant, & ad Monasterium possint deferri, ad illud deferendi sunt, etiam Parochis inconsultis. Et, sic declarasse Sacram Congreg. refert Lezana tom. 1. part. 1. capite 12. num. 41. Quod si moriantur remota à Monasterio, non electa sepultura, si in eo loco non sit Monasterium sui Ordinis, sepeliendi sunt in Ecclesia parochiali, in cujus districtu decesserunt, instar secularium in itinere morientium. Rodriguez tom. 3. quest. 60. art. 3. Diana part. 5. tract. 3. resolut. 110 Sanch. lib. 5. in Decalog. cap. 14. num. 4. Qui advertunt in tali casu teneri Monasterium, expensas factas pro Religiosi sepultura, solvere, ex leg. si quis sepulchrum ff. de Religiosis & sumptib. funeral. § Novitii cum adhuc velle, & nolle habeant, sicut dimisso habitu possunt ad seculum reverti, ita sibi eligere sepulturam extra Monaste-

rium valent, Sanch. num. 14. Bordon. num. 162. Villalobos num. 13. Sed si non eligant, de rigore juris in Majorum sepulchro essent tumulandi: & si illud non habeant, in parochia Monasterii, id est, in qua illud situm est. Ex consuetudine tamen, & ex privilegiis Religionum, si electa sepulchra non habeant, vel non electa sepultura decedant, sepeliendi sunt in Monasterio, etiam si moriantur in domibus parentum, vel alio loco, ad quem retento habitu, & cum licentia Superioris, curationis, vel alterius rei causa delati fuerant. Ita Sanchez num. 10. Pellizzar. num. 133. Bordon. num. 162. & 171. Villalob. num. 13. Rodriguez tom. 1. quest. 39. art. 4.

187. Sed circa prædicta est duplex difficultas. Prima, an servi, familiares, & commensales Religiosorum, qui non eligunt sepulturam, debeant in parochia, vel in Monasterio sepeliri? Respondetur sepeliendos esse in Monasterio, etiam repugnantibus Parochis: ut constat ex diversis privilegiis, regularibus concessis. Quorum tria in medium proferam. Primum est Clementis IV. pro Minoribus: quod refert Cassarub. in compend. verb. sepultura num. 2. his verbis Clementis IV. concessit fratribus Minoribus, ut eos qui in suis immorantur obsequiis, possint, cum decesserint, in cæmeteriis suarum Ecclesiarum sepelire. Secundum est Pauli IV. pro Societate, relatum in Bullatio ipsius fol. 34. sub hoc tenore: *vero, qui in ipsorum Præpositorum, & Sociorum moriuntur obsequiis, cuncta libere ministrare possint Sacramenta, & ipsos cum decedunt, in suis cæme-*

Familiares Religiosorum in Monasterio sunt sepeliendi.

terius sepelire. Tertium est Sixti IV. in Bulla, *Dum attentata*, quæ est Mare Magnum Carmelitarum, ubi famulis, & familiaribus eorum, idem concedit sub hac forma, *his vero qui vestris immorantur obsequiis, cuncta libere ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta, & ipses cum decedant, in vestris Cameteriis sepelire*. Sed hæc ita limitantur à Tridentino *sess. 25. cap. 11.* ut hoc tempore tan à n intelligantur de illis, qui tres conditiones habuerint copulative, videlicet: *quod actu inserviant: quod intra septa Monasterii resideant: ac sub Religiosorum obedientia vivant*; sub obedientia inquam servili, quam habent servi respectu Dominorum suorum, ut explicat Suarez *tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 9. cap. 4. num. 11.* Et quando dicta privilegia concedunt facultatem ministrandi prædictis Sacramenta, debet hoc intelligi de Confessione, Eucharistia, & Extrema Unctione; non autem de Baptismo, aut Matrimonio, ut docet Lezana *tom. 1. part. 2. cap. 13. à num. 13.* Igitur posse Regulares, hæc habentes privilegia, & cum illis communicantes in eis familiares, & servos modo dicto illis inservientes in propriis Ecclesiis, etiam Parochis in consilio sepelire, docent communiter Doctores, quos superfluum erit recensere. Videantur tamen Lezana, & Suarez, *locis citatis*. Pellizz. *tract. 8. cap. 5. sect. 4. num. 145* Villalob *difficult. 2. num. 15.* Bordon. *tom. 3. resolut. 51. num. 163.* Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quest. 67. articulo 2.*

An Præ-

188. Secunda difficultas est, an

Prælati Regulares possint sibi eligere sepulturam? Respondetur, quod aliqui affirmant posse extra Ordinem eligere, quia in *cap. final. de sepultur. in 6.* solum excipiuntur Religiosi, quo nomine non veniunt in odiosis Prælati; & maxime quia ratio ibi assignata, nimirum, quod non habent velle, & nolle, illos non comprehendit; ipsi enim in aliquibus velle, & nolle habent. Ita docent Pasqualig *decis. 384* Pellizz. *num. 126.* Rodrig. *tom. 3. qu. 60. art. 1.* Sed immerito; nam sub nomine Religiosorum etiam Prælati Regulares in dicto Capite comprehenduntur: neque enim est odiosum negare sepulturam illis, qui a Religione eam deputatam habent, & quorum velle, ac nolle coarctatur intra limites suæ jurisdictionis eorum. Ceterum intra eandem Religionem possunt respective ad sua quasi territoria eligere sepulturam, Prior, scilicet in loco totius Conventus in quo voluerit, Provincialis in Monasterio, in quo maluerit, suæ Provinciæ, & Generalis intra totam Religionem ubi ipsi placuerit: quia ut diximus, velle proportionatum suæ jurisdictioni habent; quæ sicut extenditur pro Prioribus per totum Conventum, pro Provincialibus per totam Provinciam, &c. Ita etiam potestas eligendi sepulturam eidem jurisdictioni commensurari debet. Bordon. *num. 158. & 115.*

189. Mortaliter peccant Parochi, & Religiosi, qui aliquem in sepultura, in qua ex jure sepeliri prohibetur, sepelire audent; & hoc ob damnum, & injuriam illatam Ecclesiæ, cui de-

lati Re-  
gulares  
possint  
sibi eli-  
gere se-  
pulturam

contra  
induce-  
tes ad  
promis-  
be-

tionem electionis sepulturæ in suis Ecclesiis. *bebatur illud cadaver, & ideo tenentur restituere corpus, si petatur: & omnes proventus ex funere perceptos. Ita docet Abbas cap. cum liberum, de sepultura. Sylvest. sepultura, qu. 11. Cæterum contra eos, qui alios inducunt ad jurandum, vovendum, vel promittendum, quod in eorum Ecclesiis velint eligere sepulturam, vel jam electam non mutare, hæc statuit Bonifacius VIII. C. 1. de sepultura. in 6. Universis Religiosis, & secularibus, Clericis cujuscumque status, & conditionis existant, in virtute sanctæ obediencie, ac sub interminatione maledictionis aeternæ, districtissime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Nos enim si secus actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis: statuentes ut hi, qui sic elegerint, nec apud electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi, ne contra votum, iuramentum, aut promissum hujusmodi à se factum, materiam habeant veniendi, possint eligere sepulturam. Sed contra ditione quacumque cessante, sepeliantur omnino apud alias Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si alias sepultura non electa, forsit an decessissent. Si vero iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel cæmeteriis præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepulorum corporum, si petantur, quam etiam omnium, qua occasione sepulture illorum, pervenerint quomodolibet ad eosdem, intra decennium integraliter faciendum, ipsos obligatos esse censemus.*

*Quæ nisi fecerint, Ecclesie ipse, apud quas sepulti fuerint, necnon & cæmeteria eadem ex tunc eo ipso sint, & tamdiu maneat Ecclesiastico supplicia interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plena omnium prædictorum. Quæ constitutio confirmata fuit à Clemente V. in Clement. cap. cupientes, de penis. Ad dita excommunicatione lata sententiæ, Papæ reservata contra sic inducentes.*

190. Cæterum contra hæc decreta non operantur, nec penas in eis impositas incurrunt, qui simpliciter alium inducunt ad eligendam in sua Ecclesia sepulturam, absque juramento, voto, vel promissione sub fide data de illo: quia textus loquuntur de his, qui ad jurandum, vovendum, vel promittendum inducunt. Nec qui inducerent ad eam eligendam in testamento, vel codicillo, quia hoc non est votum, aut iuramentum. Neque qui inducerent etiam cum voto, & juramento ad eligendam sepulturam in alienis Ecclesiis, non in propriis: quia Pontifex solum loquitur de inducentibus ad eligendas sepulturas in propriis Ecclesiis. Nec tæcularis laici, aut Confratres, aliquos inducentes, etiam cum juramento, aut promissione, ad eligendam sepulturam in suis Ecclesiis; quia jura solum loquuntur de Clericis, & Religiosis, sub quo nomine non veniunt laici, aut Confratres. Diana 5. part. tract. 3. resolutione 101. Villalob. tract. 31. difficult. 2. num. 18. Rodriguez tomo 3. quest. 81. art. 7. Bonacina de Cens. extra Bull. disput. 2. quest. 5. punct. 4. Bordon. tom. 3. resolut. 51. num. 181. An-

Qui sint illi, qui contra decreta superioris adducta non operantur?

tonius à Spiritu sancto tract. 2. disput. 3. sect. 4. n. 121. Lezana tom. 1. part. 1. cap. 9. num. 25. & tom. 3. verb. sepultura, num. 7. § Incurrunt autem inducentes dictas pœnas, sequuto voto, juramento, aut promissione de eligenda sepultura in Ecclesia Religiosi inducentis, etiam non sequuto effectu sepulturæ; quia in ordine ad illas solum apponitur pro effectu inductionis, & votû, vel promissio, & non actualis sepultura; sic citati. § Cæterum si in eadem Ecclesia, in qua ut sepulturam eligeret, aliquis inductus fuit, erat alias de jure sepeliendus, inductus non perdit jus ut ibidem sepeliatur, nec inducens contra dicta jura operatur: quia cessat finis, propter quem edita fuit talis Constitutio; quæ emanavit in favorem illius Ecclesiæ, in qua ille erat de jure sepeliendus; & ob id non debet retorqueri in ejus detrimentum. Hieronym. Rodriguez in compend. resolut. 128. num. 6. Portel. verbo sepultura, num. 4. Sylvest. verb. excommunicatio 7. num. 49 §. 3. Pellizzar. num. 148. Bordon. n. 185.

Exhumare cadavera gravissimum est peccatû.

191. Qui corpus jam sepultum exhumaret in eum finem, ut expoliaret, gravissimum peccatum committeret: & ideo in l. 3. ff. de sepulturarum violat. & l. reg. 14. titul. 7. partit. 1. conceditur contanguineis jus, adversus hujusmodi hominem propter injuriam & offensam agendi. Cæterum ad restitutionem eorum, quæ abstuleri, non tenebitur; cum talia pro derelictis habeantur, sub terra procul dubio consumenda. Villalobos tom. 2. tract. 31. difficult. 6. num. 1

Sed sepulchra violantes: scilicet illa frangentes, deformantes, aut cadavera spoliantes, infamiam incurrunt; & consequenter irregularitatem, cap. infames, quest. 1. Deinde non possunt etiam corpora exhumari sine licentia & consensu Episcopi, ut transferantur de uno loco in alium, vel ut à Curia sæculari recognoscantur; ut habetur in Cap. Corpora Sanctorum, de consecrat. distinct. 1. l. nemo hominum, C. de Relig. & sumptibus funer. Quod intelligit ut de corporibus perpetuè sepulturæ traditis; non de illis, quæ per modum depositi, in aliquo loco sunt sepulta: ut tradunt Lezana num. 21. Villalob. num. 4. Hieronym. Rodriguez in compend. resolut. 227. num. 25. Et subintelligitur quando non adest necessitas inde corpora extrahendi, v.g. ad Ecclesiæ, vel Capellæ renovationem, vel ad alium justum & pium effectum. § Sed Prælati Regulares ex privilegio Leonis X. possunt in suis Ecclesiis, & Capellis exhumare corpora defunctorum, & ad alias sepulturas in eisdem Ecclesiis transferre, cum consensu eorum, quorum interest, etiam si ibi essent perpetuo sepulta; quod licet vivæ vocis oraculo fuerit concessum, ante Gregor. XV. jam tamen insuper per Bullas est confirmatum, ut constat ex dictis cap. precedenti, num. 61. & proinde in suo robore manere, tenent Rodriguez & Navarrus, quos refert, & sequitur Lezana tom. 5. in Mari Magno Carmelitarum. nu. 346. Diana 2. part. tract. 2. resolut. 120. Antonius à Spiritu sancto supra num. 127. Villalob. difficult. 6. num. 5. Celsi pe-

pedes de exempt. disput. 249. Pellizz. tract. 8. cap. 1. sect. 4. Qui duo ultimi addunt, quod in illo casu, quo corpus exhumari deberet, ut à Curia seculari inspiceretur, ad capiendam informationem de homicidio, posset Prælati Regularis ex vi hujus indulti Leonis X. licentiam præbere, etiam Episcopo inconsulto: quia cum is concesserit facultatem exhumandi cadaver, pro casu quod est transferendum ad alium locum; à fortiori concessit, ut possint Regulares exhumare cadaver ad breve tempus, quale requiritur, ut inspicatur.

## §. II.

## Quibus ex jure neganda sit sepultura Ecclesiastica?

Enumerantur hi, qui jure privantur sepultura. 192. In Rituali Romano à Paulo V. composito, & ordinato folio 144. recensentur omnes, qui ex jure sunt Ecclesiastica sepultura privati; dum statuitur non esse concedendam Ecclesiasticam sepulturam Paganis, Judæis, Infidelibus, Hæreticis; eorum fautoribus, Apostatis à fide, schismaticis, publicis excommunicationis majori excommunicatione, interdictis nominatim, & iis qui sunt in loco interdicto, eo durante; seipsums occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ; morientibus in duello, etiam si ante obitum dederint pœnitentiæ signa, Manifestis, & publicis peccatoribus, qui sine

pœnitentiâ perierunt; illis, de quibus constat publicè, quod nec semel in anno susceperint Sacramenta Confessionis, & Communionis saltem in Paschate, & absque ullo signo contritionis obierint. Infantibus item mortuis absque baptismo. Sed additur: *Ubi verò in prædictis casibus, dubium occurrerit, Ordinarius consultatur.* Et merito sane supradictis negatur Ecclesiastica sepultura; quia hæc solum illis concedenda est, qui capaces sunt orationum, suffragiorum, & precum, quæ in Ecclesia fiunt à fidelibus; sed illorum incapaces sunt, qui in peccato mortali (ut de supradictis præsumitur) decesserunt, ergo, &c. § Ad supradictos casus omnes alii reducuntur, qui in jure possunt reperiri, & præsertim ad illum de manifestis peccatoribus, sub quo nomine comprehenduntur sacrilegi, adulteri, usurarii, blasphemii, Religiosi proprietarii, &c. § Manifestus autem peccator dicitur ille, cujus grave peccatū constat ex publica ejus confessione, vel ex evidentiâ facti quatenus mali, quod nullâ tergiversatione celari, nec explicari potest aliter, quam sub ratione mali si publicè fiat, ut nimirum coram populo vidente, & sciente tale factum, esse delictum grave, sitque proinde notum majori urbis parti. Nec tamen ad incurrendam privationem Ecclesiasticæ sepulturæ requiritur talibus esse assuetum peccatis, sed sufficit si semel deliquerit: quia per unicum actum verificatur quod aliquis sit Peccator, & fiat dignus excludi ab æterna beatitudine. Ita Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 91 num.

num. 32. Megala lib. 3. de censur. cap. 1  
num. 28. § Porro in his casibus etiam  
Religiosi, & Moniales quantumvis  
alias exemptione gaudeant, privan-  
tur Ecclesiastica sepultura: quia Pau-  
lus V. loquitur de omnibus Christi  
fidelibus, cujuscumque status, condi-  
tionis, & ordinis; sub quo verborum  
tenore potuit comprehendere etiam  
Regulares, cum sit omnium superior  
& Legislator.

Quid in  
dubio  
facien-  
dum?

193. In dubio autem an cadaver  
sepeliendum sit in Ecclesia, an extra?  
procul dubio debet in Ecclesia sepe-  
liti, ut colligitur ex *Cap. non estimemur*  
*13. quest. 3. Cap. sacris 12. de se-  
pultura.* Et id quidem merito, quia  
jus possidet, ut sibi sepultura sacrâ  
concedatur: & in dubio melior est  
semper conditio possidentis. Proinde  
ita sentiunt D. Antonin. *part. 3. tit. 2.*  
*cap. 12. in fine.* Bordon. *resolut. 51. nu-  
mer. 196.* Sed si res certa sit, si ve  
dubia, nemo est privandus Ecclesia-  
stica sepultura, & extra eam sepeliend-  
us, nisi prius per sententiam Ordi-  
narii constet, esse reum talis criminis,  
quod sit obnoxium privationi Eccle-  
siasticæ sepulturæ, & dignum tali  
pœna, decessisse: quia illa privatio se-  
pulturæ est pœna gravissima, cum  
privetur aliquis per eam aliorum o-  
rationibus, & suffragiis, multisque  
subsidiis spiritualibus: sed pœna et-  
iam privativa non incurritur, nisi  
post sententiam judicis, saltem de-  
claratoriam criminis, etiamsi incurri  
in jure dicatur ipso facto, nulla ex-  
spectata judicis sententia, ut diximus  
*tract. 11. de legibus, cap. 2. num. 59. ex-*

go, &c. Itaque sic docent Bordon.  
*suprà num. 125.* Pellizzar. *tract. 8. ca-  
p. 5. sect. 4. num. 148.* § Sed solus E-  
piscopus, vel ejus Vicarius Generalis,  
hic venit nomine Ordinarii, ad effe-  
ctum ferendi prædictam sententiâ,  
etiamsi cadaver deferendum esset ad  
Ecclesiam Regularium: quia cum  
initium sepulturæ sit elevatio cada-  
veris, quæ spectat ad Parochum;  
consequens est, quod solus Episco-  
pus, qui est ejus superior, ferat in hac  
materia sententiam. At si cadaver  
fuerit Religiosi, de quo dubitatur, an  
sit capax sepulturæ, non amplius hoc  
pertinet ad Episcopum, sed ad supe-  
riorem Religionis localem: quia in-  
itium, medium, & finis sepulturæ ad  
eum spectat; & ideo tali negotio ex-  
pediendo, non erit superioris Prælati  
judicium expectandum. Ita Bordon.  
*num. 126. & 127.*

194. Cæterum descendendo ad  
casus particulares, à Paulo V. recen-  
sitos, prætermittis Judæis, Paganis,  
Hæreticis, &c. & eorum receptori-  
bus, & auxiliatoribus, de quibus ibi  
expresse sit sermo, & in *cap. Ecclesia, de  
Consecrat. dist. 1. Cap. sanè 24. quest. 2.*  
asserendum est, quod pueri non ba-  
ptizati, etiamsi sint filii Christiano-  
rum, extra Ecclesiam sunt sepeliendi;  
& hoc non in pœnam criminis per-  
sonalis, cum tale non habuerint, sed  
quia peccato originali infecti obie-  
runt, & sic à regno Cælorum exclusi  
supponuntur: proindeque oratio-  
num, & suffragiorum incapaces cen-  
sendi sunt. Secus dicendum est de  
infantibus mortuis in utero matris  
defunctæ adhuc existentibus: quia  
tales

tales, non censentur Personæ moraliter distinctæ à matre. Secus dicendum etiam de pueris, de quibus dubitatur an sint, vel non sint baptizati quia ut dicebamus, in dubio, tiadendus est defunctus Ecclesiasticæ sepulturæ: ac demum de Catechumenis, qui licet non sint baptizati baptismi aquæ; præsumuntur tamen baptizati fuisse baptismò fluminis, & in voto baptismum fluminis recepisse, nisi fuerint tales, qui cum possint recipere Baptismum fluminis, eum tamen recipere neglexerunt: quia præsumuntur in peccato mortali decessisse, ut colligitur ex Concilio Braccharensi, cap. 34. & 35.

**Excommunicatus & interdictus, qui priuatur sepultura Ecclesiastica.**  
 195. Excommunicatus denuntiat, qui antequam absolueretur, defunctus est, non potest in loco sacro sepeliri, etiam si dederit signa contritionis, & doloris: quia æquum non est, quod cum mortuo communice-mus, quem vivam vitare tenebamur, ut habetur *Cap. sacris, de sepulturis, & aliis textibus à nobis tom. 2. tract. 10. de Censuris, cap. 3. num. 73. adductis.* Ubi etiam diximus hoc intelligendum esse de excommunicatis vitandis, & non de toleratis. Quod si in loco sacro sepulchrum fuerit vitandus excommunicatus, exhumandus est, & foras projiciendus, si ab aliis corporibus discerni possit, ita habetur *dicto Cap. sacris, citat.* Et, Ecclesia solemni aspersione reconcilianda est, & purganda, quia polluta fuit, ut constat *Cap. consulisti, de Consecrat. Ecclesiar. in 6.* Si dederit signa poenitentiae ante mortem, absolvendus est antequam sepeliatur, *cap. à nobis 1. de sen-*

*sentia excommunicationis.* Si verò contingat ante absolutionem sepeliri, non est exhumandus, sed absolvendus; dum tamen hæredes prius petierint absolutionem, juxta *Glossam Cap. ad hac, de privileg. Cap. si civitas, verbo sepeliri, de sententia excommunicationis in 6.* § Interdicti portò personaliter & specialiter, non possunt in sepultura laica sepeliri; uti in dicto decreto jubet Paulus V. & ita habetur in *Clementin. 1. de sepulturis, cap. Episcoporum, de privilegiis in 6.* Nec tempore interdicti localis, in loco interdicto generaliter, vel specialiter, possunt cadavera sepeliri, uti constat ex *Cap. quod inter, de poenitentis, & remissionibus, & ex Cap. Episcoporum, de privilegiis in 6.* Qualiter autem Clerici possunt sepeliri in loco sacro tempore interdicti localis, & Religiosi illi, qui Bullam cruciatam receperunt, & de aliis huc spectantibus, latè diximus *tract. 10. de Censuris, citato, cap. 6. punct. 6. per totum.*

196. Item qui in duello moritur privatur Ecclesiastica sepultura, etiam si cum signis doloris, & contritionis obierit, ut in dicta Constitutio Pauli V. habetur, & in Tridentino *sess. 25. cap. 19. de Reformat.* necnon in aliis textibus: Et hoc non solum intelligendum est de provocante, sed etiam de admittente, nisi in illis casibus, in quibus diximus *tom. 2. tract. 10. de Censuris, cap. 4. punct. 3. per totum,* duellum posse honestari, & licitum reddi: quod quidem tunc merito concessimus; & nunc quoque libenter concedimus. Ratio autem dictorum in hoc numero est, quia in duello

duello morientes, in gravissimo decedunt peccato. Tum etiam: quia sunt excommunicati per Tridentinum, & alios textus. Verum difficultas est inter Doctores, an qui in duello vulnerati, decedunt postea extra locum duelli, privandi sint Ecclesiastica sepultura, etiamsi doloris signa dederint: imo etiam si Sacramenta receperint. Aliqui id affirmant: quia per illud *in duello* secundum illos non denotatur locus materialis conflictus, sed quod in duello vulneratus ex eodem vulnere decesserit. Sic Bordon. *resol. 51. num. 111.* Lavor. *tit. 12. num. 16.* Peregrin. & Sanctius citati à Diana statim adducendo. Sed nos cum hæc sit pœnalis lex, & restringenda, locum duelli, locum ipsius conflictus interpretamur. Unde si quis vulneratus in duello fuerit, & postea extra locum duelli moriatur, privandum eum non esse Ecclesiastica sepultura judicamus, si cum signis pœnitentiæ decedat. Sic aliis citatis, Diana *part. 2. tract. 16. resol. 52.* & p. 4. *tract. 4. resol. 192. §. verum.* & p. 5. *tract. 2. resol. 99. §. notandum.* & p. 7. *tract. 11. resol. 44.* Imo etiam Portel. *in respons. moral. p. 3. casu 10 num. 3.* quem videtur sequi Diana p. 4. *tract. 4. resol. 192.* sic intepretatur illud *in duello*, ut significet idem, quod in ipso conflictu duelli: quia qui sic moritur, decedit evidenter in peccato mortali; quod tamen dici non potest de eo, qui finito conflictu, in loco duelli, cum signis doloris, & pœnitentiæ moritur, qui licet excommunicatus sit, non tamen est vitandus, cum non sit nominatim denunciatus, nec pro-

inde de illorum numero, quos privari Ecclesiastica sepultura diximus *tract. 10. cap. 3. n. 37.*

197. Ad hunc casum duelli reducitur casus illius, qui in torneamenti moritur: qui privatur Ecclesiastica sepultura, *cap. Ecclesia, de consecratione, distinct. 1. cap. sanè 24. q. 2.* quod intelligendum est de torneamenti periculosis, & non extendendum ad casum, quo quis in ipso loco torneamenti quidem vulnus accipiat, sed postea peracta pœnitentia moriatur: Cujus tamen oppositum tenent Lezana *verb. sepultura, num. 15.* Sylvest. *eodem verbo, quest. 9.* Villalob. *tract. 31. difficult. 3. num. 2.* Sed quia hoc tempore tale genus torneamenti vix est in usu, in eo non est immorandum. § Etiam usurarius manifestus nisi pœniteat, & restituat quæ per usuras acquisivit, vel cautionem de restitutione præster, privandus est Ecclesiastica sepultura, *Cap. quia, de usuris, cap. quamquam eod. tit. in 6.* Sed circa hoc vide quæ diximus *tom. 3. tract. 14. de contract. cap. 3. punct. 14. per totum.* §. Deinde etiam Religiosi proprietarii debent privari Ecclesiastica sepultura, *Cap. Monachi 2. de statu Monach. ibi: Qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & digne non pœniterit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres recipiat sepulturam.* & *Cap. cum ad Monasterium. eod. tit. ibi: Quod si proprietarius apud quemquam inventus fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilino subterretur.* Quæ quomodo intelligenda sint diximus *tom. 3. tract. 13. de restit. cap. 6. num. 8.* Alia circa hoc ipsum

Morientes in torneamenti sicut etiam usurarii, Religiosi proprietarii, privantur Ecclesiastica sepultura

vie

videri poterunt apud Dian. p. 4. tract. 4. resol. 23. Bordon. resol. 51. num. 131. Portel. verb. sepultura, n. 11.

**Peccator publicus** 198. Peccatores publici, & mani-  
festi in quocumque genere peccati, nisi dederint signa pœnitentiæ, non sunt sepeliendi in loco sacro, quia absque pœnitentiâ in peccato mortali præsumuntur decessisse, ut in dicto Pauli V. decreto habetur, & cõmuniter à Doctoribus asseritur: Signa autem pœnitentiæ, aut contritionis, (quæ quoad præsens idem esse judicatur) cum qua peccator præsumitur decessisse emendatus, est petitio veniæ, desiderium Confessarii externo signo expressum, tussio peccatoris, genuflexio, invocatio Dei, B. Virginis, & Sanctorum, suspiria ad Deum, deosculatio rei sacræ, & similia; dummodo in his casibus, ac de his signis habeatur probatio per unũ testem. Lavor. tit. 2. cap. 12. num. 21. Lezana verb. sepultura, num. 25. Naldus in summ. eodem verbo num. 6. Ex quo infertur quòd extra locum sacrum sepeliendæ sunt meretrices, concubinarij, usurarii, & omnes qui in flagranti delicto occiduntur, nisi quis attesteretur eos signa pœnitentiæ ante mortem dedisse; & ideo in Cap. fures, de furto, cuidam latroni, qui fuerat in flagranti occisus, sepultura negatur. Unde probat etiam Navarr. in dicto cap. & ex illo Villalob. difficult. 3. num. 10. quod si maritus uxorem aut adulterum in flagranti delicto adulterij occidat, non sint isti in sepultura Ecclesiastica sepeliendi. Sed Doctissimus Noster Lezana num. 23. ita loquitur circa hunc casum. (Pec-

catores autem, seu illi qui existimantur in peccato mortali decessisse, & tamen non constat certò impœnitentes mortuos illos fuisse, quales sunt qui mortui fuerunt in torneamentis taurorum, & adulteri deprehensi in adulterio, ac idcirco interfecti à marito, quamvis nulla signa contritionis dederint, in loco sacro sepeliri debent, uti docet Joannes Sanctius in selectis disput. 36. nu. 3. & 4.) Idem habet Mendoza 2. 2. disp. 76. sect. 1. §. 21. asserens quemlibet peccatorem publicum mortuum absque signis doloris, dummodo non constet evidenter impœnitentem fuisse mortuum, in sepultura sacra posse tumulari; quia potuit salvari per confessionem occultam; quod etiam videtur amplecti Diana 5. part. tract. 3. resol. 99.

199. Privantur etiam Ecclesiastica sepultura, qui semel in anno proprio sacerdoti confiteri, & Eucharistiæ Sacramentum in Paschate sumere, notoriè, & absque probabili excusatione intermiserunt, ut habetur in dicto Decreto Pauli V. & in Cap. omnis, de pœnitentiis, & remissionibus. Qui tamen in anno unum ex his Sacramentis recepit, non debet Ecclesiastica carere sepultura: quia præsumitur bonus fidelis; vel si esset occultus peccator, carere non deberet, quia textus de notorio loquitur; idque meritò statuitur ne ex carentia sepulturæ manifestetur peccator occultus. Sic Lavorius capite 12. num. 22. Bordon. resol. 51. nu. 115. Sed notandum est, quod non statim, ac publicè scitur aliquem in Paschate

Qui saltẽ sentel in anno nõ f. it confessus, nec in Paschate communicavit, non est sepeliendus in loco sacro.



non communicasse, deneganda est ei Ecclesiastica sepultura; quia forte alicui occultè confessus fuit, qui ob aliquam urgentem causam, illi ne communicaret, præcepit; cumque in dubio nullus præsumendus sit, suam spiritualem salutem negligere, ille quoque credendus est se dignum reddidisse Ecclesiasticam sepulturam ut prebat textus in cap. sancimus 8. quæst. 7. Proinde docet bene Navarrus locis citatis, & ex eo Villalob. difficult. 3. n. 10. quod semper delinquens excusandus est, quantum fieri potest: & aliqua excusatione rationabili inventa, liberandus est ab infamia criminis, & sepulturæ sacræ tradendus; quod in hoc, & in aliis casibus enumeratis, necnon præcipue in sequenti semper est præ oculis habendum,

Occidētes seip-  
sos ex  
despera-  
tione,  
nō sunt  
sepelien-  
di in lo-  
co sacro.

200. Qui seipsum ex desperatione occiderit, in loco sacro sepeliendus non est, juxta ordinationem Pauli V. & idem habetur in Cap. ex parte 1. de sepulturis. & Cap. placuit, 23. quæst. 5. Sed hoc intelligendum est de eo, qui ex desperatione, vel iracundia deliberata se occidit; non verò de illo, qui ex infania vel furore rationem absorbente, aut etiam casu, vel ex ignorantia, putando se in eo obsequium præstare Deo, sibi vitam ademit. Nec de eo, qui se volens occidere, antequam moriatur signa aliqua pœnitentiæ dedit. Unde si quis intra cubiculum clausus, reperitur suspensus, sed genibus flexis, sive coronam vel imaginem præ manibus habens, in loco sacro sepeliendus est; quia præsumitur mortuus cum signo pœnitentiæ. Ita Lavor. tit. 2. cap. 12. num. 31. Portel,

verb. sepultura, num. 1. Bordon. n. 118. Neque ex eo, quod aliquis suspensus reperitur, aut gladio confossus, aut in puteum demersus, vel in flammam projectus, aut ex culmine præcipitatus, desperate decessisse est præsumendus; quia fortasse ab alio fuit occisus, & ut tegetetur crimen, illo, vel alio modo fuit projectus; vel sanè ratione privatus, & phrenesi captus id fecisse judicandus est: amor enim vitæ non ita facile vincitur, nec est credibile aliquem nisi insanum, ob quodvis malum vitandum, malum omnium gravissimum, cujusmodi est vitæ privatio, & æternæ salutis dispendium voluisse ex seipso amplecti. Unde nisi ex evidentissimis signis, aut conjecturis constet, aliquem à se, & non ab alio occisum fuisse, idque ex iracundia, aut desperatione deliberata, non verò ex errore, aut ex infania, vel alia passione rationem penitus absorbente, tradendus est sacræ sepulturæ: quia si in omnibus causis criminalibus probationes evidentissimæ requiruntur, ut reus etiam auditus conderneretur, l. sciant cuncti, ff. de probationibus, & Cap. sciant cuncti 11. quæst. ultim. quanto magis in ista, in qua agitur de condemnatione re ipsi inaudito, qui pro se nihil opponere potest. Item nisi evidentissimè probetur oppositum, semper reus de quo in præsentia agitur, excusandus est. Sic Villalob. tract. 31. difficult. 3. num. 4. Navarr. consil. 9. de sepult. lib. 3. Rodriguez tom. 3. quæst. 71. artic. 1. Joannes Sanctius in select. dub. 36. n. 14. Pellizzac. tract. 8. cap. 5. sect. 4. nu. 148. Diana part. 5. tractatu 3.

resolut. 100. & part. 6. tract. 7. resolut. 47.

Peccat  
mortali-  
ter, qui  
privatū  
sepulcu-  
rā à jure,  
cumulat

201. Sed inquires, quale peccatum committant, & quas pœnas incurrant, sepelientes defunctum in loco sacro, qui dictis casibus prohibitis est obnoxius. Respondetur, quòd Parochi, vel Religiosi aliquos sepelientes, qui ex juris statuto privati sunt sepultura, mortaliter peccant: quia in re gravi faciunt eontra Ecclesiæ prohibitionem; quam ob rem etiam pœnas recensendas incurunt, & tenentur restituere corpus, & qui aliquid ratione illius perceperunt; ut constat ex Cap. cum liberum, de sepulchris, & ita docent Sylvest. quest. 9. Angelus verbo sepultura, num. 39. Barbosa quem refert, & sequitur Lezana tom. 3. verb. sepulchrum, num. 24. Porro si quis ex supradictis, in loco sacro fuerit sepultus, exhumandus est, si discerni possit ab aliis fidelibus; alias non, Cap. sacris de sepulchris, Cap. Ecclesiæ 1. & 2. distinct. 4. de Consecrat. Imò si cada ver sepultū fuerit intra Ecclesiam Regularium, potest Episcopus illius exhumationem illis præcipere, si illi denegari debuerat sepultura, quia publicè excommunicatus, usurarius, interdictus, quia ipse ita conceditur, abrogatis omnibus privilegiis in contrarium in Clementin. eos, de sepulchris. Sed si ob alios casus sit illi sepultura indebitè concessa, & si Prælati exterrare corpus teneatur, & foras projicere, id Episcopus præcipere non potest ob exemptionem ab ejus jurisdictione Ecclesiæ regularis, ratione cujus se habet, ac si extra Dioccesim esset sepultum cadaver,

Pelliz. supra n. 176. Sylvest. verb. sepultura, n. 16.

202. Præter hæc duplex assignatur in jure excommunicatio contra sepelientes in loco sacro eos, qui indigni sunt sepultura Ecclesiastica. Prima habetur in cap. quicumque 2. de hæreticis in 6. ubi sic dicitur: Quicumque hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumpserint Ecclesiastica tradere sepultura, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententia se noverint subjacere; nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & projiciant hujusmodi corpora damnatorum. Secunda habetur in Clementina 1. de sepulchris. his verbis: Eos qui propria temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiæ, in cæmeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis à jure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt; decernimus ipso facto, excommunicationis sententia subjacere. A qua nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diocesanæ Episcopi, eis quibus per præmissa, fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem.

203. Neutra tamen ex his duabus excommunicationibus incurritur ab iis; qui in aliis casibus hoc paragrafo assignatis tradunt sepultura Ecclesiasticæ, aliquem ea privatum, sed primam tantum incurunt, qui hæreticos, eorum fautores, receptatores, &c. sepeliunt. Secundam, qui tempore interdicti, vel nominatim inter-

Duplex  
excom-  
municatio  
contra se-  
pelientes  
in loco  
sacro  
privatos  
Ecclesiæ  
sepultura.

Qui in-  
currant  
duplicè  
suprapo-  
sitam  
excom-  
municatio-  
nem?

dictum, vel publicè excommunicatum, aut usurarium manifestum sepeliunt. § Sed cum in utriusque excommunicationis formula dicatur: *Qui scienter præsumpserit cum temeritate*; ideo scientia, præsumptio, & temeritas copulativè requiruntur ad eas incurrendas; tunc igitur quis temerarie sepelire dicitur alium, cum sciens defunctum declaratum fuisse indignum sepulturâ; nihilominus illum sepelit in loco sacro, vel de facto in eo sepelivit: quamvis ignorantia, & inadvertentia excuset, ut patet ex à nobis dictis tom. 2. tract. 10. de censuris, cap. 1. num. 198. § Nominè autem *Ecclesia*, in prima excommunicationis formula, & cœmeterii in secunda, venit *Ecclesia* vel cœmeterium, vel quicumque alius locus ex designatione Ordinarii, ad sepulturam fidelium designatus, eò quòd mens legislatoris sit, ut similes peccatores careant Ecclesiastica sepultura, qualis est illa, quæ construitur in Ecclesiis, cœmeteriis, &c. ut notat Gloss. in dicta *Clemen. 1. de sepult. verb. cœmeterium*. § Demum per sepelientes, qui in prædictis textibus dicuntur incurrere excommunicationem, non tantùm intelliguntur funus comitantes, nectantùm Clerici canones, crucem portantes, campanas pulsantes, vel corpus ad sepulturam deferentes; nec solum illi, qui propriis manibus corpus defuncti attollunt, in sepultura deponunt, & terra cooperiunt, ut plures probabiliter asserunt; sed etiam mandantes, & procurantes, quod defunctus in loco sacro sepeliatur, & ad id authoritative

concurrentes, uti cum citatis Hugol. Palao, Conincho, Suarez, Trullenchio, Diana, diximus tract. dict. de censuris, c. 3. punct. 7. à n. 78.

## §. III.

An, & quomodo eligentes in Ecclesiis Regularium sepulturam, possint ab eis sepeliri?

204. **L**iberum est omnibus Christi fidelibus, sive Clerici sint, sive laici eligere sibi sepulturas in Ecclesiis Regularium; & sive eligant illas, sive non eligant, si tamen in Monasterio suorum majorum habeant sepulchra, in eis potest Regulariter ipsos sepelire, tam cum habitu Religionis, quam absque illo Ita habetur tum ex Jure Communi, in Cap. ubicumque 13. quest. 2. & in Cap. Agapetus 16. quest. 1. & in Clementin. Dudum de sepulturis. Tum etiam ex privilegio Clementis IV. Martini IV. Bonifacii VIII. Sixti IV. Pii V. Clementis V. & aliorum: ut videre est apud Casarubios in compend. privileg. Mendicant. verb. sepelitis, & sepultura, num. 8. & 13. Barbosa de Jure Ecclesiast. lib. 2. c. 10. num. 21. Lezana tom. 1. part. 7. c. 1. num. 21. & prædicta electio sepulturæ, nec à Parochis, neque ab Episcopis, neque à quocumque alio impediri potest. Riccius in praxi, part. 4. resolutione 293. Hieronym. Rodrig. in compend. qq. Regul. resol. 128. Borodon. tom. 3. resol. 51. num. 7. § Quæ privilegia, & jura etiam concessa cen-

consentur Monialibus, ita ut quicumque, sive vir, sive foemina in earum Ecclesiis, vel cœmeteriis, sed extra earum clausuram, sepeliri valeat. Ratio est: quia in pluribus ex dictis privilegiis expressè nominantur. Tum etiam: quia communicant in privilegiis cum Religiosis sui Ordinis, ut diximus *cap. 1. num. 91.* Ac deinde: quia ita tenet praxis, & consuetudo totius Ecclesiæ. Tum denique; quia sic declaravit sacra Congregatio sub Gregor. XV. Ideoque sic tradunt *Portel. verb. sepultura, num. 14. Bordon. num. 83. Lezana tom. 1. part. 2. cap. 1. n. 31. Antonius à Spiritu sancto supra n. 123.*

Parochi peccant mortaliter, qui impediunt, quò minus fideles apud Regulares sepeliantur. 205. Ita liberum est unicuique in Monasteriis regularium eligere sepulturam, ut, ne à tali electione fideles retrahantur, minimè possint Parochi plus exigere pro associando corpora, in Ecclesiis Regularium tumulanda, quam si ad Parochiam ducerentur. Et ideo communiter Doctores asserunt peccare mortaliter Parochos peccato Simonix & injustitiæ talia exigentes, & tenei ob id damnis, quæ Regularibus inde proveniunt, satisfacere. Tum quia talis exactio moralis violentia est, retrahens fideles, ne in Regularium Ecclesiis sepeliantur. Tum etiam: quia id prohibitum est ipsis *in Cap. audivimus 4. de simonia, Cap. non sunt 8. Cap. cum in Ecclesia, eodem titulo.* Tum denique: quia Clemens VIII. in Bulla quæ incipit: *Expositum*, apud Rodriguez *in Bullar. fol. 1205.* sub excommunicatione Papæ reservata, præcepit Parochis Indiarum, ne plus pete-

rent pro associando corpora, in Ecclesiis Regularium sepelienda, quàm pro illa deferendo ad Parochiam accipere solent. Quam Constitutionem confirmavit Urbanus VIII. litteris datis in forma Brevis 11. Maii anno 1638. in quibus locorum Ordinariis commisit, ut providerent, & decernerent; *Ne Parochi plus percipere possent ex sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quàm ex eis, quæ fiunt in propriis secularium Clericorum.* Unde constat & peccare mortaliter, & incidere in excommunicationem positam à Clemeate VIII. omnes Parochos ubivis locorum, contra dictas Constitutiones plus exigentes; eò tamen, quòd licet sit pro Indiarum Parochis expressè posita, est per modum declarationis juris Pontificii, & naturalis expedita, ne videlicet aliquis ultra id, quod sibi debetur, exigat, & sic obligare ubique, tenent *Portellus in addisament. verb. sepultura, num. 2. Lezana tom. 3. verb. sepultura, num. 5. Peyrin. tom. 3. cap. 4. num. 8. Antonius à Spiritu sancto num. 133. Pelliizz. supra n. 173.*

206. Sed circa dicta nota primò: Aliqua Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium declarasse circa dicta die 1. Februarii 1640. ut testatur Lezana *suprà*, quod quando Parochi non interveniunt associationi corporis defuncti, qui eligit sepulturam in Ecclesia Regularium; possunt quidem habere emolumenta, quæ illis propter jus Parochiale obveniunt; sed non illa, quæ dantur propter associationem. § Nota secundo: quòd secundum Decretum Urbani VIII. Con-

Constit. 21. confirmantis ex certa scientia Constitutionem Pauli V. ut refert Peyrin. in additament. ad Constitutionem Leonis X. cap. 4. num. 7. hæc. cedes defuncti non tenentur convocare ad associandum corpus, tot Clericos, quot Regulares, nec prius totum Capitulum, quàm Religiosos, nec dare tot intortitos Parocho, quot Regularibus; sed convocare posse Clericos sibi bene visos, & cuilibet dare ceram sibi bene visam; & eodem decreto revocantur quælibet instituta, & consuetudines, seu abusus, circa hoc in aliquibus partibus vigentes. § Nota tertio id quod ait Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 4. n. 144. Bordon. tom 3. resol. 51. num. 87. Labor. tit. 2. de funer. cap. 14. num. 44. melius esse, ex multis capitibus, eligere sepulturam in templis Religiosorum, quàm in aliis. Tum ob frequentiore Divinorum Officiorum celebrationem, quæ in Ecclesiis Regularium peragitur: ad quam attenditur in Cap. fraternitatem 3. de sepulturis, ibi: *Fraternitatem tuam non credimus ignorare mortuorum sepulchra, & cœmeteria apud illas Ecclesias, & Monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus Religiosorum Fratrum Conventus sunt constituti, & orationes, atque Missarum solemnia, tam pro vivis, quàm pro defunctis frequentius celebrantur: ergo frequens divinorum Officiorum celebratio, quæ principaliter peragitur in Ecclesiis Regularium, arguit esse utiliore, & meliorem sepulturam apud ipsos, ut dicit ibidem Glossa, verb. frequentius. Tam etiam ex majori frequentia populi concurrentis*

ad audienda Divina Officia, in eisdem templis Regularium, quæ multum prodest fidelibus vivis & defunctis, juxta Glossam Cap. cum gratia 13. quest. 2. Omitto quod decentius, quòd cum majori devotione, ac reverentia in Ecclesiis Regularium funeralia sicut officia, & quòd exactius oneribus impositis fiat satis, quia hæc & similia omnibus proptulo constant. Ad alia transeamus.

207. Caterum quoad modum, Qualiter quo se debent gerere Regulares cum se debent Parochis circa sepelienda corpora gerere in suis Ecclesiis, sciendum est Sixtum Regulæ IV. in Manu Magno pro Carmelitis, res concessisse, quòd fratres ipsi, nullius Parochi super hoc petita licentia, Parochias, quando in quibus prædicta corpora existunt, aliqui cum cruce processionaliter ingredi sepelire possint, & corpora ipsa levare, & ad suas Ecclesias sepelienda deferre, ubi hoc fieri cõsuetum fuerit, & ubi Presbyteri pro levando corpore requisiti, id facere recusa verint. Idemque concessit pro Dominicis Pius V. in Bulla: *Ad hoc nos Deus*, apud Confessionem pag. 218. Sed verò circa hoc observari debet Decretum Leonis X. in Bulla, *Dum intra*. in Concilio Lateranensi editum, in quo dicitur: *Parochias autem cum cruce ad levanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorum eorundem, suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi prius præmonito, & requisito, ac recusante Parochiano presbytero, & tunc sine eius, ac Ordinarii præiudicio (intellige quoad quartam Canonicam, & tunc neralem, quando eam solvere tenentur.) Nisi eisdem fratribus super hoc aliqua*

tiqua consuetudo, qua fit in viridi obser-  
 vantia, & cum pacifica possessione, suf-  
 frageur. Insuper ut omnia firma es-  
 sent, & omnes lites, & controversiæ,  
 & altercationes, circa hoc omnino  
 cessarent, Sacra Congregatio, die 12  
 Januarii 1614. declaravit, & statuit:  
 Quibusvis Regularibus, quorumcumque  
 Ordinum, & Congregationum, tam  
 Mendicantium, quam non Mendican-  
 tium, nullo modo licere, etiam specialis a-  
 licuius consuetudinis preteritu, Parochias  
 cum cruce processionaliter, aut alias, ad  
 efferenda, & levanda defunctorum fu-  
 nera, intrare, vel illa levare, & efferre,  
 nisi vocato, & expresso proprio defun-  
 cti Parocho, eoque ibidem presente, si ta-  
 men ipse aliter fieri non consentiat, &  
 permittat; vel nisi requisitus venire ex-  
 presse omnino recuset. Alias etiam de-  
 clarationes apud Authores statim ci-  
 tandos passim reperies. Quare hoc  
 omnino observandum est; quod Pa-  
 rochus vocetur & expectetur, atque  
 eo presenti, & non aliter corpus le-  
 vetur. Sed si ipse aut nolit levare cor-  
 pus defuncti, qui in Ecclesia Regu-  
 larium sepulturam elegit, vel alia re-  
 sistit, impedit, aut retardat, possunt  
 Regulares sine eius interventu, imo  
 eo nolente, & contradicente corpo-  
 ra levare, & processionaliter ad suam  
 Ecclesiam deferre. Ita docent Leza-  
 na tom. 5. in Mari Magno Carmelita-  
 rum, num. 346. & tom. 1. part. 2. cap. 1  
 num. 31. & tom. 3. verb. sepultura, num.  
 4. Peyrin. tom. 1. privileg. Minim. in  
 Constitut. 26. Leonis X, §. 16. num. 20.  
 Barbola de officio Parochi, cap. 26. nu-  
 66. & in collect. Bullar. verb. sepultura.  
 & de Jure Ecclesiast. lib. 2. cap. 10. num.

22. & 23. Bordon. tom. 3. resolut. § 1.  
 num. 34. Antonius à Spiritu sancto  
 tract. 2. disp. 7. sect. 4. num. 126. La-  
 vor. tit. 2. de funer. c. 3. num. 207. Por-  
 tel. tom. 1. casuum, casu 66. per totum.

208. Possunt verò Regulares, vel  
 associati Parocho, vel eo nolente co-  
 mitari sine ipso, cum cruce tendere  
 ad locum, ubi est corpus defuncti, &  
 illud processionaliter deferre ad Ec-  
 clesiam suam, neque illud tenentur  
 prius deferre ad Ecclesiam Paro-  
 chialem; sed recto tramite possunt  
 ad suam Ecclesiam deducere, ut ex  
 declaratione Cardinalium docet  
 Peyrin. in additament. ad Const. Leo-  
 nis X. cap. 5. Lezana in Mari Magno  
 Carmelit. num. 346. & in Mari Magno  
 Prædicat. num. 8. qui etiam tom. 3.  
 verb. sepultura, num. 18. affert etiam  
 declarationem sacre Congregatio-  
 nis, ex qua habetur, quod quando  
 cadavera sepeliuntur apud Regula-  
 res, ad ipsos spectet declarare, an per  
 civitatem, an per aliam viam sint de-  
 portanda?

209. Qualiter autem possint fide-  
 les cum habitu Religionum sepeliri  
 constat ex concessione facta à Sixto  
 IV. Minoribus, quæ incipit: *Apostoli-  
 ca mansuetudinis*. apud Casarrubios  
 in compend. verbo habitus, num. 8. in  
 qua indulget omnibus, & singulis  
 utriusque sexus Personis in habitu  
 Fratrum sepeliri volentibus, ut pos-  
 sint ita sepeliri, inhibens Curatis, &  
 Ecclesiæ Rectoribus, sub excom-  
 municationis pœna Summo Ponti-  
 fici reservata, ne taliter sepeliri vo-  
 lentibus, quovis modo impedimen-  
 tum afferant; sed permittant illos pa-

Qui eli-  
 gunt se-  
 peliri cū  
 habitu  
 Religio-  
 nis, cum  
 eo sunt  
 sepelien-  
 di.

teater ad Ecclesiam, & locum sepul-  
turae in habitu huiusmodi deferri,  
Idem concessit idem Sixtus IV. pro  
Prædicatoribus, & Minoribus in  
Bulla, quæ appellatur *aurea* apud  
Confectium in *collectan. litterarum  
Apostolicarum, in Sixto IV. num. 3.* Et  
idem Carmelitis concessit in Mari  
Magno Eorum, in quo omnes alia  
Religiones habentes communica-  
tionis privilegium, communicant,  
Addit autem idem Sixtus IV. in pri-  
vilegio illo pro Minoribus, ne ex il-  
lorum corporum delatione ad alia  
loca prædictis Fratibus injuria irro-  
garetur, alia apud Fratres prædictos  
sepeliri debere, etiam si defuncti, ante  
mortem alibi sepulturam sibi elegerint;  
& prohibet ne contrarium fiat  
nisi de assensu, & licentia Fratrum  
prædicti instituti, in illo loco in quo  
defuncti decesserunt. Idem concessit  
idem Pontifex in Mari Mag-  
no pro Carmelitis: & in Bulla aurea  
pro Prædicatoribus, & Minoribus,  
ut refert Casarrubios *supra num. 9.*  
Rodriguez *tom. 2. quasi 76. artic. 3.*  
Bordon, *tom. 3. resolut. 51. numer. 58.*  
Lezana *verbo habitus, num. 6.* Pelliz-  
zar, *tract. 8. cap. 5. sect. 4. num. 171.*  
Deinde idem Sixtus IV. in relata  
Constitutione statuit, ut hi, quibus  
committitur potestas dandi habi-  
tum, teneantur denunciare deceden-  
tibus, eos cum obierint debere sepe-  
liri in Ecclesiis Fratrum, quorum ha-  
bitum petunt, ac recipiunt. Propter  
quod sacra Congregatio, ut testantur  
Barbosa, & Peyrinis apud Lezana  
*verb. sepultura, num. 17.* cum à Fratri-  
bus Minoribus per modum dubii

petereretur, an in eorum Ecclesiis sepe-  
lienda essent cadavera eorum, qui  
dicto habitu induti ex hac vita mi-  
grarent; Respondit, id fieri debere, si  
eorum Guardianus, aut alius super-  
ior, habitum huiusmodi suscipien-  
tes præmonuerint eorum cadavera  
propter habitus concessionem ac re-  
ceptionem apud ipsos Fratres, quo-  
rum habitum gestarent, esse sepelien-  
da.

210. Sed hæc postremò revocata Sepeli-  
sunt tum ex consuetudine dicta, quia endur  
videmus plures alibi sepeliri quàm in cum ha-  
Ecclesia Regularium, etiam cum ha- bitu re-  
bitu illorum. Tum etiam in Conci- ligitur  
lio Lateranensi à Leone X. in Bulla eligere  
Dum intra mentis, ubi dicitur: *Volentes potest  
quoque sepeliri habitu eorundem Fra- ubi vo-  
trum, & interea tamen in claustris non luerit se-  
degentes, sed in propriis domibus habi- pulura.*  
tantes, in eorum ultima voluntate sepul-  
turam sibi eligere possunt. Unde modo  
cum habitu sepeliri volentes, possunt  
eligere sepulturam in quacumque  
Ecclesia voluerint: neque eos neces-  
sarium erit præmonere, quòd in Ec-  
clesia Fratrum quorum habitum ge-  
staverint, debeant sepeliri. Ita Ro-  
drig. & Casarrub. *sup.* Lezana *verbo  
habitus, num. 6.* Bordon, *resol. 35. num.  
69.* Villalob. *tract. 31. diff. ult. 5. n. 2.*  
§ Habitum autem, cum quo aliquis  
sepeliendus est, à nemine potest con-  
cedi, nisi à superiore illius Conven-  
tus, cujus est habitus, & non per  
quemcumque alium, quavis au-  
thoritate aut Prælatione fulgentem,  
ut constat ex dicta Bulla aurea Sixti  
IV. & habetur apud relatum Confe-  
ctium *supra in Sixto IV. num. 3.* Casar-  
rub.

rub.num.11. Rodrig.art. 9. Lezana num.7. Villalob.num.2. § Porò licèt agrotus dum viveret, habitum non peccerit, possunt nihilominus ejus hæredes petere illum, quia faciunt rem gratam animæ defuncti: & idem est, ac si ipse defunctus illum petisset: quia hæres reputatur una, eademque persona cum defuncto, §. 1. de auth. de jurejur. leg. fin. C. de impuberibus. § Indulgentias denique quas lucrantur, qui cum habitu Religiosorum petunt sepeliri, vide apud Rodrig. sup. art. 10. Cafatrub.num.6.7. & 8. Bordon.resol.35.num.68. Lezana verbo habitus, num.8. Villalob. difficult. 5. numer.4.

Omnia officia funeralia facienda sunt à Religiosis.

211. Quæres primò à quo fieri debeat officium super cadavera tumulanda in Regularium Ecclesiis: § Respondetur, omnino debere fieri ab ipsis Regularibus, vel ab aliis de eorum consensu; non autem à Parocho, nec à Canonicis, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili in contrarium, ut declaravit sacra Congregatio in una Sulmonenti 8. Augusti 1629. & in pluribus aliis causis & casibus, ut testatur Barbofa de Offic. Parochi, cap. 27. num. 82. Peyrin. tom. 1. privil. Minim. constit. 2. Julii II. §. 21. num. 7. § Imò dum cadavera in prædictis Ecclesiis sepeliuntur, non potest Parochus, se in aliquo intromittere, nec aliquos actus sibi exercere, ut declaravit sacra Congregatio apud Lezan tom. 5. in Mari Magno Eremit. S. Augustini. Qui eodem tom. 5. in Mari Magno Prædicator. §. 43. num. 134. testatur declarasse Sacram Congregationem, non

posse parochos, hæredes defunctorum eorum, qui in Ecclesiis Regularium volunt sepeliri cogere, ut in suis parochiis celebrari curent aliquas missas, vel novenalia pro prædictis defunctis. § Et quidquid à fidelibus Monasteriis Religiosorum offertur, Regularibus ibi servientibus debet obvenire: nec super hoc ab Episcopo, vel aliis presbyteris possunt Religiosi molestari, ut expressè habetur, Cap. 1. de statu Monach. & Cap. nimis iniqua, de excessib. Pralat. Imò si Parochi celebrent in Ecclesiis Religiosorum, non possunt sibi usurpare oblata, ut concessit Cisterciensibus Bonifacius VIII. Bulla 9. (Ex quo patet inquit Doctissimus Magist. Joannes à Cruce lib. 2. cap. 9. dub. 5. conclus. 4.) non posse Parochos sibi postulare candelas, aut alia, oblata in Ecclesiis Religiosorum à mulieribus puerperis suos filios Domino præsentantibus, quæ aliqui Clerici perperam, & contra dicta decreta, & privilegia sibi usurpare contendunt.)

212. Quæ hucusque dicta sunt de Regularibus, etiam de Monialibus exemptis sunt intelligenda. Nam etiam illæ exemptæ sunt à jurisdictione Parochorum, & aliorum pro materia funeralium; ita quod intra earum Ecclesias quoties cadavera defunctorum in eis sepelienda sunt, sine eorum consensu nec Canonici, nec Clerus possint peragere officia defunctorum, aut reliqua quæ in hujusmodi ministerio fieri solent; sed vel ab eis sunt facienda quibus ipsæ subsunt, vel ab aliis, quibus ipsæ moniales libere commiserint. Tum propter

Quando aliquis apud moniales exemptas sepelitur, ab eis, vel quibus ipsæ commiserint, facienda sunt funeralia officia.

ea, quæ supra num. 204. diximus. Tum etiam, quia id expressè declaravit Sacra Congregatio in quadam lite, Parmæ exorta inter Carmelitas Discalceatos ad S. Antonium de Padua ex una, & Rectorem S. Spiritus ex alia parte, ut testatur Doctissim. Parmensis, Franciscus Bordonus *tom. 3. resol. 5. num. 213.* in hæc verba: *Die 19. Martii 1639. S. C. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, uti alias sæpius censuit, quoties cadavera defunctorum, ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur. Officia mortuorum, ac reliqua, quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonico, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, ac peragi debere.* Cosm. Cardin. de Torres, P. Fagnanus, die 19. Martii 1639. Eadem quoque Sacra Congregatio censuit supradictum decretum habere locum etiam in Ecclesiis *Monialium Ordinis Mendicantium.* Et ita etiam tenent Bordon. *ubi supra.* Pelliz. *2. tract. 8. sect. 4. num. 154.* Anton. à Spiritu sancto *tract. 2. disp. 3. sect. 4. n. 131.*

**Sæcularis in Monasterio moriens, in eo sepeliri potest.** 213. Inquires secundo, an cadaver alicujus sæcularis, negotii causa hospitantis apud Religiosos, si is ibi in febrem incidat, & moriatur, sepultura moriens, non electa, sepeliendum sit apud eosdem Regulares; an verò in parochia in qua situm est Monasterium. Respondetur, quòd sepeliri debet in Monasterio, in quo sæcularis ille decessit. Constat hoc ex *Cap. 1. 16. q. 1.* ubi dicitur: *Mortuum non sepeliant nisi Monachum in Monasterio secum commorantem, vel si fortuito quemquam advenientium Fratrum ibi mori conti-*

*gerit.* Ubi ut bene ponderat Bordonus *resol. 5. num. 168.* nomine Fratrum non veniunt Monachi Conversi, quia isti sub primo vocabulo comprehenduntur, alias non possent in suis Monasteriis sepeliri, nisi solum Monachi Clerici; sed nomine Fratrum intelliguntur peregrini, sive Clerici sint, sive laici, eò, quòd omnes fideles ad invicem fratres sint, secundum illud Chrysostom, Homil. 25. in Epistol. ad Hebræos: *Fratrem in hoc loco, omnem fidelem intellige, non monachum tantum.* Quid est autem quod facit fraternitatem nisi lavacrum regenerationis, quod facit vocare Deum Patrem. Tum etiam, quia in tali casu Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Uctionis recipere debent à Regularibus, cum Parochus intra claustrum, nullum actum jurisdictionis exercere valeat: sed jus sepulturæ pender ab administratione Sacramentorum; & ideo in jure, & privilegiis utrumque munus administrandi sacramenta, & concedendi sepulturam eidem competit, uti ex privilegiis supra num. 204. relatis cernitur, præsertim ex jure, uti constat ex *cap. ex parte, cap. in nostra, de sepult.* idemque docet Glossa *cap. ubi cumque, in initio, 13. q. 2.* Sylvest. *verb. sepult. q. 8. s. 2.* ergo si prædicto sæculari in monasterio debent sacramenta administrari, in eo procul dubio, si absque electione sepulturæ decesserit, debet sepeliri. Imo hoc ipso, quod infirmitate correptus in Monasterio inde noluerit asportari, virtualiter elegit, & voluit, si tunc mo-

reretur, in eo sepeliri. Sic Peyrin. tom. 1. privileg. Minimor. ad constitut. 1. Julii II. num. 94. referens Rodriguez, de Graffis, & Reginald. ita etiam tenent Samuelius de sepult. tr. 1. contro. vers. 1. §. num. 4. Lezana tom. 3. verb. sepultura, à num. 30. Bordon. resol. §. 1. n. 169.

Similis præcedent casus resolvitur.

214. Similis præcedenti est alia quæstio, quam excitat dictus Franciscus Bordon. nu. 216. an nimirum Religiosi possint præmunire sacramentis, & sepelire in sua Ecclesia famulum conductum pro fabrica Monasterii, si is ceciderit, & postmodum in Conventu mortuus fuerit? § Ad quam responder, quod licet illi possint Religiosi Sacramenta ministrare; tamen non possint eum in sua Ecclesia, nisi prævia ejus electione, sepulturæ tradere; & hoc ad Parochum pertinere ait, eò quod iste jus habeat sepeliendi in sua Ecclesia suos subditos, ubicumque moriantur, sepultura non electa, vel nisi ipsi alibi habeant Majorum suorum sepulturam, cap. ex parte, cap. in nostris. § Sed nescio an consequenter id asserat Bordonus, qui in præcedenti casu inde probat, illum, qui curationis causa ad Monasterium se recepit, vel in eodem hospitatus infirmatur & moritur, ibi sepeliri debere, quia à Religiosis debet Sacramenta recipere, & quia de jure Canonico certissimum est, quod quis humari debet, ubi sacramenta recipit, si absque electione sepulturæ moriatur, ut probat Samuelius sup. num. 55. ex Glossa cap. dudum, de sepultura in 6. Ac demum quia jus sepulturæ, ut dicebamus, pender ab ad-

ministracione Sacramentorum, ut tenet Sanchez de Matrimonio, lib. 3. disput. 25. num. 17. Barbof. de officio Paroch. part. 3. cap. 26. num. 34. Lezana sup. n. 74. § Interea cum dicto Bordon. convenimus in eo, quod dicit num. 67. Quod ille, qui omnia sua bona reliquit Religioni per donationem, aut testamentum, si sepultura non electa moriatur, nec alibi habeat Majorum suorum sepulchrum, sepeliendus est, ubi Regularibus, quos instituit hæredes, placuerit; quia hæres succedit in omne jus defuncti, l. Hæredem. ff. de regul. jur. Cum ergo defunctus habuerit jus eligendi sibi sepulturam, hoc jus transit in ejus successores.

De portione Canonica Episcopis debita, & quarta funerali solvenda Parochis.

215. CUM sepultura connexa est solutio portione Canonice, quæ sic dicitur, quia est à sacris Canonibus sancita; & hæc est in duplici differentia: alia Episcopalis, & est illa portio, vel quantitas, quæ debetur Episcopis, ab omnibus Ecclesiis suæ Diocæsis ex legatis, & donationibus causa mortis eisdem Ecclesiis, & aliis locis piis relictis, ut constat ex Cap. de his 20. quæst. 1. & Cap. constitutum 16. qu. 1. Item Clement. dudum de sepult. Porro illa Episcopis à sacris Canonibus assignatur ratio-

Que sic portio canonica, quæ non est in usu in Hispania?

ne oneris, quod in administratione Episcopatus sustinent, & in recognitionem superioritatis, & ob communicationem, quæ est inter Episcopum, & Ecclesias sibi subditas: præsertim verò ob pabulum spirituale, quod fidelibus subditis præbet. Barbosa de Offic. & potest. Episc. alleg. 86, num. 1. & 7. Hæc aliquando erat tertia pars, aliquando quarta, & ob id quarta Canonica dicebatur legatorum, & aliorum, quæ Ecclesiis relinquebantur. Sed in hoc standum est consuetudini, ut decernit Innocentius III. in cap. *requisiti. de testam. & ultim. volunt.* Caterum vix in Hispania esse in usu, & consuetudine hanc solvere portionem Canonicam Episcopis, testatur idem Barbosa de *Jure Ecclesiast. lib. 3. cap. 19. numer. 10.* Hieronym. Garcia in *Politico. Regul. tom. 1. tract. 8. difficult. 3. dub. 3. punct. 1. num. 2.* Idem quoque de Dicecesi Salmantina, qui in ea scripsit, testatur Villalob. *part. 2. tract. 31. difficult. 7. num. 1.* Sicut nos qui etiam in eadem scribitur, idem testamur, postquam enim per viginti quatuor annos in ea commorati sumus, nunquam audivimus aut peti, aut solvi talem portionem Canonicam.

Portionem Canonicam solvere, non tenentur Regulares exēpti.

116. Sed esto in suo vigore, & observantia esset solutio hujusmodi portionis Canonice, Monasteria tamen Regularium exemptorum tam virorum, quam mulierum eam solvere non tenerentur. Tum propter extravagant. *Inter cunctas, §. de quibuscumque, de privileg.* Ubi postquam Pontifex dixit teneri Regulares Parochis, & Rectoribus Ecclesiarum

quartam funeralem (de qua postea) solvere, addit: *Ultra portionem autem hujusmodi nihil valeant Parochiales, Rectores, Curati, & Pralati exigere à supradictis, neque illis dicti Fratres amplius impendere sint adstricti, neque à quoquam possint aliquantulum coerceri.* Tum etiam: quia textus adducti numer. præced. quibus talem portionem Episcopis solvi decernitur, loquuntur de legatis, & aliis donationibus relictis propriis Episcoporum Ecclesiis, ob curam illarum, & ob superioritatem in illas: quæ omnia cessant in monasteriis exemptis, quorum Ecclesiæ nec sunt propriæ Episcoporum; neque isti illarum curam gerunt, neque in eas habent aliquam jurisdictionem, vel superioritatem. Tum denique: quia dantur circa hoc plura Regularium privilegia. Nam ita concessit Julius II. Dominicanis, & Minoribus, ut refert Rodriguez *tom. 3. qq. Regul. q. 46. art. 1.* Eugenius IV. Benedictinis, ut refert Garcia *sup. n. 5* & Sixtus IV. Carmelitis, ut in eorum Mari Magno videre est, & ita refert Lezana *tom. 1. part. 2. cap. 1. num. 3. & tom. 2. verb. Canonica portio, numer. 7.* qui etiam addit cum expressa revocatione Clementinæ *Dudum*, tale privilegium fuisse concessum, alia quoque dantur privilegia, quæ idipsum concedunt; quare nostram sententiam tenent Sylvest. verbo *Canonica portio, q. 3.* Rodriguez, Lezana, & Garcia *locis citatis*, Barbosa *cap. 19. cit. num. 11.* Miranda in *Manual. tom. 2. quest. 48. art. 2.* Lavorius *titul. 2. cap. 17. num. 81.* Bonacin. *tom. 2. disp. 3. de contract. q. 22. punct. 3. num. 2.* Tam-

Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 16. num. 4.* Antonius à Spiritu sancto *tract. 2. disp. 3. sect. 4. num. 120* Joannes à Cruce *lib. 2. cap. 9. dub. 5. num. 1.* Bruno Cassiing. *2. p. tract. 8. cap. 4. propos. 1. & alii communiter.*

Portio-  
nem pa-  
rochia-  
lem, quæ  
dicitur  
quarta  
funera-  
lis, om-  
nes sol-  
vere te-  
rentur.

217. Alia est portio Canonica, quæ dicitur Parochialis, seu funeralis: & est illa portio, quæ debetur Ecclesiæ Parochiali, seu Rectori illius de funeralibus, & legatis relictis Ecclesiæ, apud quam Parochianus elegit sepulturam, & de omnibus, quæ obveniunt ratione funeris, seu in die funeris, ut patet ex pluribus textibus sub titulo de sepulturis, citatis, & ex aliis infra adducendis. Hæc aliquando fuit tertia pars, aliquando dimidia; sed frequentius quarta: ob idque *quarta funeralis* communiter dicebatur, ut constat ex Clement. *Dudum, de sepult. & ex Extravagant. Comm super cathedram, de sepultur.* Verum quoad hoc standum est omnino consuetudini legitimæ introductæ, ut probat *Gloss. cap. 1. de sepult. versicul. tertiam partem, §.* Hujus portionis solutio est magis in praxi, quam solutio Episcopalis, & secundum jus commune eam tenentur solvere omnes Regulares quantumvis exempti; nisi speciali privilegio à solutione quartæ funeralis eximantur, ut constat ex dicta Clement. *Dudum, & ex Extravag. super Cathedram,* in qua revocantur omnia privilegia, & omnes Constitutiones, & pacta in contrarium. Sic tenent saltem quoad Viros, omnes Doctores; sed aliqui absolvunt Moniales à tali obligatione, quia textus

solum de Religiosis viris loquuntur, & aliunde lex pœnalis est, ergo non debet extendi ad moniales, nisi exprimentur. Sic Azor *part. 2. lib. 9. cap. 13. quest. 5.* Navarr. *in lucern. regular. verb. quarta, num. 1.* Nihilominus contrarium est omnino tenendum, uti ex Trident. & Bulla Pii V. infra adducenda colligunt Barbosa *de Jure Eccles. lib. 3. cap. 24. num. 13. & 14.* Garcia *tract. 8. difficult. 4. dub. 3. punct. 2. num. 6.* Portel. *in dubiis Regul. verb. portio Canonica, num. 8.* Lezana *verb. Quarta funeralis.* Hieronym. Rodriguez *in compend. resol. 18. n. 17.*

218. Diximus nisi speciali privilegio, &c. quia plures Religiones habent tale privilegium speciale, & ideo istæ non tenentur solvere prædictam quartam funeralem; sicut nec illæ, quæ cum istis communicant in privilegiis, licet in hac parte communicationem generalem privilegiorum non suffragari, aliqui contendunt hac ducti ratione: quia privilegia, quæ sunt in tertii præjudicium, (ut est istud de exemptione à solutione quartæ funeralis, quod cedit in detrimentum Parochorum) non videntur communicari; & præsertim quia pro hac opinione diversas decisiones affert Barbosa. Sed pro nobis alias adducit Bonacina *tom. 2. disp. 3. quest. 22. punct. 2. num. 3.* Tamburin. *tom. 1. disp. 15. quest. 16. num. 8.* Alias Molfesius *part. 2. Summ. tract. 13. c. 9. n. 28.* Lezana *verb. quarta, nu. 3.* Alias Quaranta *in compend. privileg. mendic. verb. quarta Episcopalis. n. 26.* Garcia *supra n. 8. §.* Verum quid est id, quod loco à nobis supra citato, docet Barbosa.

Qualiter  
privile-  
gia de  
non sol-  
venda  
quarta  
funerali  
possint  
prodesse.

bulla  
privilegii  
Clementis  
Villalob.  
Carmel.  
Discalceos

bofa. Quod ut privilegium in hac parte vim habeat, debet derogare in specie Clementin. Dudum, quia hæc est Conciliaris, utpote in Concilio Vienneſi edita; ſed ut diximus *cap. preced. num. 41.* Concilio generali non derogatur, niſi de illo expreſſa mentio fiat, ergo, &c. Nec tamen illud admittimus, quod aliqui dicunt, non ſuffragari ad hunc effectum privilegia, in quibus inſerta reperitur clauſula: *ſalva juſtitia Eccleſiarum Parochialium*, vel ſimilis alia, exiſtimantes quod hac vel illâ poſita cenſeantur Summi Pontifices non voluiſſe concedere dictam exemptionem: quia aliâs non maneret ſalva juſtitia Eccleſiæ Parochialis: Quin potius oppoſitum ſentiendum ducimus, cum in privilegio a deſt expreſſa exemptio à ſolutione quartæ funeralis, cum revocatione Clementin. Dudum: quia dicta clauſula non debet præciſè intelligi prout in privilegio ſonat, ſed debet ſic explicari, ſalvâ juſtitia Eccleſiarum, &c. quoad alia in privilegio non expreſſa, & cum illo compatibilia, Tambur. aliis citatis *diſp. 15. q. 18. n. 12.*

quænti, quia tamen nobis in diverſis Hispaniæ oppidis multoies lites intentatas fuiſſe novimus, quæ nec hodie dum exinctæ ſunt, ideo ut præmanibus habeant Religioſi noſtri privilegia eis nominatim conceſſa, quibus ab importunis exactionibus Parochorum ſe valeant liberare, placuit in præſenti ea ſigillatim recenſere. Vix enim ex ſcriptoribus ægentibus de hac materia, & textum Concil. Trident. infra adducendum, explicantibus, aliquem reperimus, qui ſpecificè Carmelitas Diſcalceatos nominando, eos à ſolutione quartæ funeralis non liberet, Vidimus autem non paucos, qui ſunt Villalob. *tom. 2. tract. 3. i. diſſ. ult. 7. num. 9.* Joannes de la Cruz *lib. 2. cap. 9. dub. 5. concluſ. 2.* Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 3. num. 12. & tom. 3. verbo quarta funeralis, n. 3, & tom. 5. in Mari Magno Carmelit. §. 18. num. 353.* Antonius à Spiritu ſancto *ſeſt. 4. num. 138.* Urbanus *tract. 2. part. 2. cap. 5. Regul. 10. fol. 168.* Hieronym. Garcia *tom. 1. tract. 8. diſſicult. 3. dub. 3. punct. 2. num. 10.* Rodriguez *quaſtionum Regulærium, tom. 1. quaſt. 39. art. 2.* Baſſeus *verbo quarta Parochialis, num. 4.* Tambur. *tom. 1. diſſut. 15. quaſt. 18. numer. 15.* Barboſa *de Jure Eccleſiaſt. tom. 2. lib. 3. cap. 24. num. 13.* Naldus *in Summa, verbo ſepultura, num. 1.* Bruno *2. part. tract. 8. cap. 2. propoſ. 1.* & alii omnes, qui dicunt Monafteria fundata circiter quadraginta annis ante Tridentinum non teneri ſolvere quartam funeralem, & iſtos Authores infra dabimus.

§. V.

*Privilegia, quibus Carmelita Diſcalceati à ſolutione quarta funeralis eximuntur.*

Ferè omnes Autho- 219. Licet diverſæ Religiones diverſis fruantur privilegiis pro hac materia, ut dicemus §. ſe-

220. Probatum primo ex privilegio



gium Nicolai V. in favorem Carmelitarum omnium refertur. Pro omnibus Carmelitis concessio, quod in nostro compendio habetur fol. 49. & quod referunt Miranda tom. 2. quest. 4. art. 6. conclus. 4. Rodriguez tom. 1. questio- num Regularium, quest. 39. art. 1. Casarub. verbo Canonica portio, num. 5. ubi ait: *Ista est melior, & copiosior concessio, qua sit in omnibus privilegiis Fratrum Mendicantium in materia ista.* Porro prædictus Pontifex cum expressa revocatione Clement. Dudum, sic ait: *Vobis, & dicto Ordini vestro perpetuo concedimus, ut de illis, qua vobis pro fabrica Ecclesiarum, & Conventuum vestrorum, seu pro Ecclesiasticis ornamentis, luminaribus, anniversariis, septimo, vigesimo, trigesimo, & aliis Divinis cultibus, pitantiis, indumentis, calceamentis emendis, celebrandis, & habendis in eisdem, necnon annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliqua domus, prædiacum cum hortis, & aliis locis Ordinis ejusdem obligata noscuntur per Christi fideles elemosyna pietatis intuitu, sive in funeralibus, oblationibus, sepulturis, ultimis voluntatibus, legatis, aut alias quoquo modo concessis aut donatis bonis, nulli Canonicam portionem aliquam teneamini exhibere, aut ad id valeatis coarctari, &c.* & hanc concessionem amplissimè confirmavit Sixt. IV. in Bulla *Dum attenda*, quæ est Mare Magnum Ordinis nostri. Idemque concessere Carmelitis Julius II. & Clemens VII. ut refertur in Bulla Clementis VIII. infra producenda, quæ est illa, in qua ille summus Pontifex pro nobis Carmelitis Discalceatis prædicta omnia confirmavit.

221. Secundo probatur ex tribus amplissimis privilegijs nobis Discalceatis Carmelitibus concessis, pro exemptione à quarta funerali. Primum est Clementis VIII. in Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.* Romæ expedita apud S. Marcum, die 5. Junij 1595. Pontificatus sui anno 4. & habetur in Compendio privilegiorum Ordinis folio 188. & 189. ubi inter alia dicit: *Ipsos vero Conventus, seu Fratres ad hanc ipsam portionem, seu quartam solvendam minimè teneri in vim privilegiorum, per plures Romanos Pontifices, præsertim felix record. Nicolaum V. Julium II. & Clementem VII. qui Fratres Carmelitas, & alios Mendicantes ab hujusmodi solutione liberos esse voluerunt. Quibus privilegijs ipsi fratres (denobis loquuntur) quibus illa etiam quoad quartam funeralium nos ipsi confirmavimus) exemptionem possint pretendere.* Et postea subjungit: *Nos igitur ex Venerabilium Fratrum nostrorum S. Romane Ecclesie Cardinalium Sacri Concilij Tridentini interpretum sententia, Ordinem prædictum Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, ejusque Conventus, Canonica, & Fratres universos, quippe qui Carmelitana Religionis privilegijs à diversis Pontificibus concessis, etiam ex speciali nostra confirmatione, seu communicatione fruuntur, ad solutionem quartæ funeralium hujusmodi teneri nolumus, sed liberos esse & fore decernimus, cum uti proponitur dicta Religio ante annos quadraginta ante confirmationem Concilii Tridentini, à prædictis Nicolao V. & Julio II. ab ea solutione fuerit exempta, idèdque ad eam minime teneatur; sicque per quoscumque judices Ordinarios,*

Aliud privilegium Clement VIII. pro Carmelitis Discalceatis

& delegatos, etiam causarum Apostolici Palatii Auditores sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & diffiniri debere volumus ac irritum, & inane quidquid se- tus super his à quoquam, quavis Authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit at- tentari decernimus. Omnibusque, & sin- gulis Parochis, & aliis quibuscumque personis, ne dictos Fratres super præmissis quoquo modo molestare audeant, seu præ- sumant interdiciamus, & inhibemus, &c. & concludit: non obstantibus Constitu- tionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quibusvis statutis, ac consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Aliud privile-  
gium e-  
iusdem  
Clem.  
VIII. pro  
Discal-  
ceatis  
Carme-  
litis.

222. Secundum est ejusdem Cle- mentis VIII. in Bulla incipiente: *Quod semel ab Apostolica Sede*, Romæ expedita apud S. Petrum sub annulo Pif- catoris, die 24. Martij anno 1597. & Pontificatus sui anno 6. habetur in *Compend. Privilegiorum Ordinis fol. 199.* & in Bullario Rodriguez Bulla 26. ejusdem Pontificis, in qua pro diri- menda controversia ad iudicium contradictorium devoluta, & orta inter Rectorem domus S. Joseph Carmelitarum Discalceatorum, & Rectorem Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ del Pino ejusdem civitatis su- per quarta funerali; Summus Ponti- fex primo refert declarationem Car- dinalium de non solvenda quarta fu- neralium à dictis Fratribus Carme- litis Discalceatis; & postea semetip- sum illam confirmasse affirmat: ac demum Fratres ipsos Carmelitas Discalceatos à solutione quartæ fune- ralis eximit, & litem dirimit, prædi- cto Rectori S. Mariæ del Pino perpe-

tuum silentium imponendo, ac hu- jos brevis executionem Episcopo Barchinonensi committendo.

223. Tertium est Pauli V. in Bul- la, quæ incipit: *Decet Romanum Pon- tificem*. Romæ expedita apud S. Ma- riam Majorem sub annulo Piscatoris die 20. Augusti 1605. Pontificatus Ejusdem anno 1. quæ habetur in *Compendio Ordinis folio 333.* ubi re- lata à Summo Pontifice declaratione S. Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini interpretum asse- rente, Monasteria ædificata quadra- ginta annis ante Concil. Trident. & post ipsum quadraginta annis, & ci- tra erecta, non teneri solvere quar- tam funeralium, si sint illius Ordinis, cui à Sede Apostolica ante quadra- ginta annos indultum fuit, ut eandem quartam non teneantur solvere, addit Paulus V. *Volumus, mandamus, decer- nimus, & declaramus omnia, & singula hujus Ordinis B. Mariæ de Monte Car- melo Monasteria seu domus in quibus- cumque mundi partibus à quadraginta annis adificata* (uti sunt omnia Car- melitarum Discalceatorum Cœno- bia) illorumque *Conventus, & Fratres nullo modo, nullave ratione teneri ad so- lutionem dictæ quartæ funeralium; nec ad non solutionem hujusmodi aliquas sen- tentias, censuras, & pœnas incurrere pos- se.* Et concludit: *Non obstantibus quibus- cumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, sub quibuscumque teno- ribus, & formis, ac quibuscumque clausu- lis, & decretis in genere, ac in specie, ac aliis in contrarium quomolibet con- cessis approbatis, & innovatis, quibus om- nibus, & singulis, etiam si de illis, illorum-*

Aliud privile-  
gium Pauli V.  
pro Dis-  
calceatis  
Carmelitis

que

que totis tenoribus specialis, & specifica, expressa, & individua; non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio facienda foret, illorum tenores presentibus pro expressis habentes eisdem expresse derogamus, &c.

Decretum Concilij Tridentini adducitur, & explicatur.

224. Sed quia in dictis privilegijs fit mentio Concilij Tridentini, quod solent pro se adversarij nostri afferre; cum tamen nostram assertionem manifestè confirmet, illius verba proponemus, ut ex ipsis iusticia causæ nostræ luce manifestior appareat. Dicit ergo Concilium sess. 25. cap. 13. Decernit Sancta Synodus, ut quibuscumque in locis jam ante annos quadraginta, quarta, qua funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesia solita esset persolvi, ac postea fuerit: ex quocumque privilegio, alijs Monasterijs, hospitibus, ac quibuscumque locis pijs concessa, eadem post hac, integro jure, & eadem portione, qua antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesia persolvatur, non obstantibus concessionibus, gratijs, privilegijs, etiam Mari Magno nuncupatis, & alijs quibuscumque. Porro decretum istud quatuor virtualiter includit: Primum, est quod Monasteria quæ 40. annis ante Concilium solita erant solvere quartam funeralium, teneantur etiam nunc eam solvere, non obstantibus quibuscumque privilegijs. Secundum, quod Monasteria fundata ante Concilium, quæ solita non erant dictam quartam solvere per quadraginta annos, neque hoc tempore teneantur ad illam solvendam. Tertium, quod Monasteria fundata ante Concilium citra 40. an-

nos non teneantur ad eam; siquidem Concilium loquitur solum de Monasterijs fundatis ante Concilium, ultra quadraginta annos, non citra. Quartum denique est, quod Monasteria fundata post Concilium (talìa sunt omnia Monasteria Carmelitarum Discalceatorum) & in posterum fundanda, non teneantur solvere dictam quartam, eo, quod nullo modo in decreto Concilij comprehendantur; siquidem Concilium solum loquitur de fundatis ante ipsum, & quæ solita erant eam solvere, quod minime verificatur de Monasterijs fundatis, aut fundandis post Concilium. Sic Communiter Doctores explicant hoc decretum. Villalob. tom. 2. tract. 31. difficult. 7. num. 9. Hieronym. Garcia tom. 1. Politic. Regular. tractatu 8. difficult. 3. dub. 3. punct. 2. num. 9. Tambur. tom. 5. disputatione 15. quest. 18. Pellizzar. tractatu 8. cap. 5. sect. 4. num. 161. Antonius à Spiritu sancto tract. 2. disputatione 3. sect. 4. num. 138. Miranda tom. 2. quest. 48. art. 8. & 14. Lezana tom. 3. verb. quarta funeralis. num. 5. Rodriguez tom. 1. questionum Regularium, quest. 39. art. 2. Naldus in Summ. verb. sepultura. num. 1. Portel. in dub. Regul. verb. Canonica portio. n. 1. Joannes à Cruce de statu Relig. lib. 2. c. 9. dub. 5.

225. Et quod ita sit Concilium intelligendum, præter Doctorum auctoritatem communiter sic interpretantium, præter privilegia supra relata Clementis VIII. & Pauli V. in quibus ita intelligi debere decernitur; constat ex Bulla Pij V. pro omnibus Mendicantibus expedita; incipiente:

Bulla Pij V. etiam mendicantium, revocata non est à Gregorio XIII

Yyy 2,

Et si

Etsi Mendicantium, anno 1567. quæ habetur tom. 2. Bullar. inter Bullas hujus Pontificis, num. 41. in quâ dicitur quartam autem funeralem de qua Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. nequaquam solvere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta annis citra fundata existunt, postquam Concilium confirmatum est, quia Concilium ipsum loquitur tantum de Monasteriis ultra quadraginta annos ante fundatis, quæ ipsam quartam solvere consueverunt. Nec talis Bulla Pij V. quoad hanc partem revocata fuit per aliam Gregorij XIII. quæ incipit: *In tanta*, & habetur tom. 2. Bullar. inter Constitutiones illius, num. 9. Nam Gregorius XIII. solum per suam Bullam (esto publicata fuerit, de quo aliqui dubitant) *In tanta*, revocavit dictam Bullam Pij V. Etsi Mendicantium, quatenus plura indulta continebat contraria Concilio Tridentino, non verò illam revocavit secundum quod ipsum Concilium, & mentem illius declarabat; quia cum ad supremum Pastorem pertineat hæc dubia, & controversias decidere, in quantum erat declaratoria Concilij eam in suo robore reliquit. Sic Peyrin. tom. 2. privileg. Minor. in Constitut. 7. Pij V. num. 3. Barbos. de jure Eccles. tom. 2. lib. 3. cap. 24. num. 14. Diana 3. part. tract. 2. resolut. 107. Garcia, Joannes à Cruce ubi supra Portel. in respons. casuum, part. 2. casu 26. num. 6. & 7. Tambur. sup. num. 7. Rodriguez tom. 1. questione 39. art. 2. Lezana tom. 1. part. 1. cap. 3. num. 12. & part. 2. cap. 1. à num. 29. & tom. 3. verb. quarta funeralis, num. 6. Rota in una licen. quart. funeral. Luna 15. Janu-

arij 1618. coram Domino Decano Coccino, quam affert ad longum Tamburin. tom. 3. & est in Ordine 84. num. 6. & quod plus est, Paulus V. quadam Bulla ex edita anno 1607. quæ est 32. apud Cherubin. approbat declarationem Pij V. tanquam conformem menti Tridentini. Et ipse Pius V. id ipsum confirmavit in alia Bulla incipiente: *Ad hoc nos Deus*, quæ habetur 2. tom. Bullar. Cherubin. sub numero 41. in quâ similia conceduntur.

226. Præterquam quod multoties à Sacra Congregatione Cardinalium Concilii interpretum, illud ipsum declaratum fuerit, Concilium eodem modo ac illud S. Pius V. iterum pluribus declarationibus id explanavit. Et ut alias prætermittamus, unam adducemus, quam refert Farinacius in 4. volum. decis. num. pagin. 115. colum. 1. per hæc verba: Congregatio Concilij censuit non comprehendenda Monasteria adificata à quadraginta annis citra, aut quæ in dies adificantur; præsupposito, quod hujusmodi Monasteria sint ejus Religionis, cui à Sede Apostolica indultum sit, ut quartam funeralem non teneatur Episcopo solvere. Aliam declarationem ad instantiam, & favorem Conventus S. Dominici de Naples Ordinis Minorum editam refert Quaranta in Summ. Bullar. verbo privilegium Regular. & Lezana tom. 1. cap. 3. num. 13. Aliam refert Tambur. tom. 1. dist. 15. questione 16. num. 15. & alia plures videri poterunt: apud Rodriguez tom. ... questione 8. art. 9. & questione 43. art. 7. & questione 39. art. 2. Molfellum 2. part. Summ. tractatu

23. cap. 9. n. 30. Rursus id etiam à Sa-  
cra Rota decisum fuisse testator Bar-  
bosa de Officio, & Potest. Episcopi, alleg.  
86. num. 17. Tambur. tom. 1. disput. 15.  
quæstione 17. num. 7. Et cum utraque  
Bulla Pij V. supra relata: *Et si Mendi-  
cantium: & ad hoc nos Deus*, expressè  
Moniales nominet, illas etiam ex-  
emptas esse à solutione quartæ fune-  
ralis, omnes communiter docent.

Plures  
senten-  
tiæ in fa-  
vorem  
Carme-  
litarum  
Discal-  
ceato-  
rum de  
non sol-  
venda  
quarta  
funerali.

227. Cum ergo habeant Discal-  
ceati Carmelitæ exemptionem à so-  
lutione quartæ funeralium, tum ex  
privilegiis antiquis Nicolai V. Sixti  
IV. Julij II. & Clement. VII. toti Or-  
dini Carmelitarum concessis, & à  
Clemente VIII. pro nobis specialiter  
confirmatis, & innovatis; tum etiam  
ex specialibus Clementis VIII. &  
Pauli V. nobis Discalceatis concessis;  
tum deinde ex Concilio Tridentino,  
& repetitis Pij V. Constitutionibus;  
tum præterea ex Declarationibus S.  
Congregationis Cardinal. & S. Rotæ  
decisionibus; tum denique ex com-  
muni Doctorum sententia de hac re  
scribentium: mirum est nonnullos  
Parochos harum Apostolicarum  
Constitutionum minus peritos, non  
sine conscientiæ gravamine (peccant  
enim in hoc mortaliter, ut prædicti  
Auctores loquuntur) velle adhuc il-  
los molestare, & cum tumultibus, &  
litibus cogere ad diætæ quartæ porio-  
nis solutionem. Caterum in hac par-  
te in judicio contradictorio... sem-  
per victi, & condemnati fuere. O-  
mittimus sententias diffinitivas mul-  
totes pro nobis promulgatas Abu-  
la, Segoviæ, & aliis partibus. Quin-  
que referam, quas hic Salmantica:

obtinuimus in favorem hujus Colle-  
gii, in quo, licet indigni Rectorem a-  
gimus, & earum transumpta fideliter  
authenticata in archivo hujus domus  
asseruimus. Prima emanavit 22. A-  
prilis, anno 1598. contra Parochos,  
& Beneficiatos S. Poli. Secunda die  
19. Martij an. 1619. contra Rectores,  
& Clericos S. Blasii, & S. Thomæ.  
Tertia 21. Maii 1622. contra Cleri-  
cos, & Beneficiatos S. Isidori, & S.  
Martini. Quarta 28. Martij anno  
1624. contra Regale Capitulum S.  
Marci. Quinta 3. Novembr. an. 1628.  
contra totam Ecclesiam Cathedra-  
lem, & capitulum illius: ob idque  
tanquam in negotiò, quod jam in  
rem judicatam transit, pacifice hoc  
privilegio fruimur, nec ullus est, qui  
audeat contra illud jam reclamare.

§. VI.

*Quæ Religiones sint à solutione quartæ  
funeralis exemptæ? & quid tene-  
antur solvere, qua illam  
reddere tenentur?*

228. Dicendum est omnes sa-  
cras Religiones exemptas, vel per communicationem  
(quam in hac materia si fragari dixi-  
mus n. 218.) vel propter specialia pri-  
vilegia illis concessa, ex vi illorum (ni-  
si alias obster decretum Tridentini;  
de quo statim) exemptas esse à solu-  
tione quartæ funeralis. Diximus ex vi  
privilegiorum, quia in pluribus locis  
ex immemorabili consuetudine, aut  
pacto, vel ex negligentia, aut igno-  
ran-

Per hoc  
quod  
unum  
Mona-  
sterium  
quartam  
funera-  
lem sol-  
vat, alia  
ejusdem  
Ordinis  
privile-

gium  
non a-  
mittunt.

rancia juris proprii Monasterii illam solvere vidimus. Sed illud ad memoriam reducendum duximus; & hoc tractatu multoies indicavimus; quod licet in uno vel alio Conventu solvatur hæc quarta funeralis, vel ob non usum sui Privilegij, vel per usum, aut consuetudinem juri contrariam, hoc tamen in nullo præjudicare potest exemptioni aliorum illius Ordinis cenobiorum, respectu quorum adhuc in suo vigore persistit. Imo etiam prædictis Monasteriis vim, & vigorem resumere poterit, quoties Regulares, qui ex negligentia aliaversione (præter pactum expressum, quo tali privilegio cesserunt) contra illud operati fuerunt, voluerint usum eorum reassumere; quia cum in reliquis Conventibus sit in suo vigore: tale privilegium; ob communicationem quâ omnia & singula privilegia cum illis participant, illis quando voluerint, poterit adhuc prædictum privilegium suffragari. *Miran datom. 2. quæst. 48. art. 15. Bruno 2. part. tract. 8. cap. 2. propos. 1. prope finem. Rodriguez tom. 1. quæst. 8. art. 2. & tom. 3. quæst. 51. art. 5. Suarez de legib. lib. 8. cap. 35. num. 20. Abbas Felinus, & Hieronym. Rodrig. apud Lezan. tom. 5. in Mari Magn. Carmelitar. num. 351.*

Privilegia exi-  
mentia  
Regula-  
res à so-  
lutione  
quartæ  
funeralis

229. Igitur hoc indultum concesserunt Gregorius XI. Martinus V. & quidem iste Sixtus IV. cum derogatione Clementinæ *Dudum*, Minoribus, & Prædicatoribus. Insuper ipse Sixtus IV. apud *Confectium pagina 66.* pro curatis cogentibus Regulares ad eam solvendum imposuit pœnam

excommunicationis, & privationis suorum Beneficiorum, & aliorum, cum inhabilitate ad eadem, & alia in posterum obtinenda. Julius item II. & Julius III. idem concesserunt pro Minoribus, & Eugenius IV. pro Benedictinis S. Justinæ, ut refert Rodriguez in *Bullar. Bulla 12. Tambor. tom. 1. disputat. 15. quæst. 17. num. 6.* ubi etiam aliud refert Julij II. pro Congregatione Vallisumbrosæ, idem quoque concessit pro Minoribus Leo X. Bulla, quæ incipit: *Exponi nobis*, & Alexander VI. Bulla, quæ incipit: *Sacra Religioni*, necnon Paulus IV. *Ex Clementi*, cum revocatione Clementinæ *Dudum*, §. Quæ omnia intelliguntur, cum temperamento posito à Tridentino *sess. 25. cap. 13.* de quo diximus, *num. 224.* nimirum, quod Monasteria fundata ante Tridentinum, quæ per quadraginta annos ante illud solita erant solvere, non obstantibus dictis privilegiis illam solvere in posterum teneantur. Illa verò, quæ vel ante quadraginta annos non solvebant, vel citra quadraginta annos fundata sunt, minimè solvere teneantur, uti ex declaratione Pij quinti, & S. Congregationis, & communi Doctorum placitis ibidem explicuimus.

230. Quid autem solvendum sit pro quarta funerali ab his, qui ex consuetudine, contractu, aliove modo illam solvere tenentur, est non modica inter Doctores dissensio. Dicemus quid ex jure & quid ex privilegijs habeatur; supponendo, quod semper in hac parte standum est consuetudini, ratione cujus in aliquibus plus, in alijs minus solvi consuevit.

Cl-

Clement. Dudum, & extravag. comm. super cathedram, de sepult. hæc circa solvenda ratione portionis funeralis disponunt Pontifices: Ut dictorum Ordinum Fratres de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscumque relictis, ad quoscumque usus, etiam si Canonica portio dari non consueverit, Parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis largiri integre teneantur. Et explicans Benedictus XI. in Extravag. 1. de privilegiis, quid nomine funeralium intelligatur, dicit: Funeralia intelliguntur hoc casu, quæ cum funere deferuntur: de Candelis vero, quas Fratres portant, portio non petatur. Et hoc ultimum statuit etiam Sixtus IV. in Marti magno Prædicatorum: Neque in aliquo casu (inquit Pontifex) de candelis, quæ ad manus fratribus dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur. Lezana tom. 1. part. 2. cap. 1. num. 48. Barbosa de jure Ecclesiast. lib. 3. cap. 24. num. 39. Garcia in Politic. regular. tom. 1. tractatu 8. difficult. 3. punct. 2. num. 2.

Quid ex privileg. solvendum sit ratione quartæ funeralis.

231. Ex privilegiis autem hæc limitata sunt. Nam Sixtus IV. in Bulla Dum attenda, quæ est in mare magnum Carmelitarum, hæc dicit: Et si forte per nos aut Sedem Apostolicam de pie legatis, dispositis, vel relictis decima, vel alia portio, seu quarta alteri pie, vel non pie causa ex quavis causa hæcenus concessa foret, vel in posterum concedi, aut solvi, aut dari contigerit, fratres prædictos, ac eorum domos, ac ejus legata, & relictæ, aut alias in eorum favorem disposita in concessione, & mandatis hujusmodi, decernimus non includi, nisi de ipsis fratribus, & præfati decreto, & voluntate no-

stra specifica mentio fiat. Et Joannes XXII. Nicolaus V. Eugenius IV. & Clemens VIII. pro nobis Discalceatis Carmelitis concessere non teneri illam reddere portionem, de his, quæ relinquuntur à fidelibus pro ornamentis, missis, anniversariis, pro cultu divino, vestitu, ac victu Fratrum; quod communiter dicitur non teneri quidquam solvere ex his, quæ relinquuntur ad usus privilegiatos. Quod etiam concessit Sixtus IV. bull. 14. pro Minoribus, & bulla 33. pro Prædicatoribus; quod non teneantur solvere decimam de missis, candelis, quæ dantur in manibus Religiosorum, aut de aliis relictis pro ornamentis, libris, & aliis. Joannes à Cruce lib. 2. cap. 9. dub. 5. conclus. 3. Miranda tom. 2. quest. 48. art. 2. Garcia num. 3. Sed ubi hoc clarius habetur, est in bulla Pij V. Etsi Mendicantium multoties citata, ubi sic dicitur: & ubi solvi consuevit, id tantum cera, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferre contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur; non autem de Missis, seu legatis, vel aliis, fratribus ipsis, seu monialibus hujusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis solvi debet: sicque intelligi decretum Concilij Tridentini quoad quartam hujusmodi solvendam debere decernimus: neque ad quartam, seu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesie, palliorum, planetarum, cortinarum, & pannorum, & aliorum, quæ dictis Ecclesiis relinqui, vel dari contigerit, etiam si pro victu fratrum, aut alias relinquuntur, aliquid contribuere teneantur. Similia verba habentur in alia bulla ejusdem

dem Pij V. *Ad hoc nos Deus*, quam supra retulimus, & ita in praxi debere observari communiter tenent Doctores. Covar. *ad cap. ultim. de testam. in 6. Garcia num. 3. Azor. part. 2. lib. 9. cap. 14. quest. 13. Lezana verb. quarta funeralis, num. 7. Bordon. tom. 3. resol. 51. num. 22. Sylvester verbo canonica portio, sine.* Uterque Rodriguez Manuel. *tom. 3. qq regul. quest. 43. art. 1. Hieronym. resol. 18. num. 3. Portel. in respon. mor. part. 2. casu 12. num. 2. Villalob. tract. 31. diff. 7. num. 8. Barbosa supra cap. 24. num. 36. Crux lib. 2. cap. 9. dub. 5. conclus. 3. Pellizzar. tract. 8. cap. 5. sect. 4. num. 160.* Et alij qui afferunt plures declarationes Cardinalium, plures in diversis tribunalibus sententias, plures circa hoc in favorem regularium Rotæ decisiones, quæ videri poterunt in Diana p. 7. *in fine inter decis. Rota.*

Solum  
ex his  
quæ fu-  
nus co-  
mitan-

232. Quare juxta superius dicta, ac secundum concessionem Pontificum, declarationes S. Congregationis, Rotæ decisiones, & communem Doctorum sententiam, quando sol-

vere tenentur regulares quartam, non debet esse nec de legatis, missis, anniversariis, &c. sed de his solum, quæ funus comitantur; ob idque quarta funeralis dicitur, ut de vino, tritico, pane, cereis, quæ corpus comitantur, vel circa illud in tumultu apponuntur, vel de his, quæ circa crucem, aut cadaver deferri solent, & de his quæ offeruntur, dum corpus in Ecclesia tumulatur. Sed circa hoc consuetudo, ut diximus est observanda, si sit rationabiliter introducta. § Sed nota, quod quando defunctus, qui eligit sepulturam apud regulares, legavit aliquid Ecclesie parochiali, in qua sepeliendus erat; censetur illo legato satisfacere velle parochie, ejusque Curatis ob ea, quæ ipsis ratione quartæ funeralis debebantur. Unde in eo casu non teneri quidquam ex relictis monasterio, ratione quartæ funeralis, detrahere, etiam qui quartam solvere tenentur; docent Lezana *sup. n. 10. Bordon. n. 36. & alij quos refert Barbol. tom. 2. de jure Eccles. lib. 3. c. 24. n. 18.*

